

OBSERVATIONES
RHETORICAE
IN DEMOSTHENEM

SCRIPSIT

IOANNES LUŇÁK,

QUINTI GYMNASII PETROPOLITANI PRAECEPTOR.

PETROPOLI.

MDCCLXXVIII.

MEMORIAE
FRIDERICI RITSCHELII.

OBSERVATIONES RHETORICAE IN DEMOSTHENEM.

Cum rhetoricae studium recentioribus temporibus Spengelio, Piderito, praecipue autem R. Volkmanno hac de arte restituenda optime meritjs revixerit, cum alij quoque in singulis artis oratoriae partibus illustrandis non frustra operam posuerint, tamen multa restare, quae accuratius tractata artificium oratorum magis declarent, nemo est qui nesciat. Itaque hac in re aliquid proficere conatus Demosthenis orationes mihi delegi, in quibus quomodo orator sententiis, similitudinibus imaginibusque usus esset, demonstrarem. Ut igitur id quod mihi proposui assequerem, primum quae Graecorum atque Romanorum rhetores in hanc rem commentati sunt perscrutans colligebam, tum omnes Demosthenis orationes, exceptis quae a plurimis huius aetatis hominibus doctis subditiuae habentur, attente legens observabam, quo modo rhetorum praecepta ad oratoris usum referrentur. Usus enim oratorum et praecepta rhetorum artissimo vinculo inter se coniuncta sunt, ita ut neque illi artis oratoriae praecepta, quae eorum aetate traderentur, respuerent, neque hi dicendi leges scribentes optimas orationes non respicerent. Quod recte sese habere innumerabilia exempla demonstrant, quae a rhetoribus ad leges orandi illustrandas allata sunt: quae a plurimis non ficta, sed ex optimis orationibus deprompta sunt. Usus autem ipse, ut in ceteris omnibus, arte antiquior est, quod Cicero de Orat. I, 32, 146 et Quintilianus instit. orat. V, 10, 120 optime testantur. Ad Graecos Romanos quoque doctores asciscere non dubitavi, cum longa omnium artis scriptorum series a Corace et Tisia, qui eius inventores fuisse dicuntur, usque ad Tzetzen tamquam unam familiam efficere videatur.


Apud Ciceronem (de Orat. I, 49, 213) Antonius eum dicit esse oratorem, qui et verbis ad audiendum iucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus.

Cum igitur gravissimae oratoris partes in elocutione et argumentatione constent, quaeritur, num quid eum in utraque re sententiae, similitudines imaginesque adiuvent. Priusquam autem ad id quod nobis proposuimus, accedamus, non supervacaneum erit ostendere, quem locum sententiae et similitudines in tota rhetorica doctrina obtineant et quomodo cum aliis artis oratoriae partibus cohaereant.

Ut Graeci semper ab Iove, ita nos ab Aristotele incipiemus, illo praecipitoe praestantissimo, qui ut ceteris artibus, ita rhetoricae quoque firmissima fundamenta iecit. Qui testis est tria esse, quibus orator ad persuadendum uti possit. (Spengel. Rhett. gr. I, p. 8): primum ingenium atque mores ipsius oratoris (ἦθος), tum eorum qui audiunt affectum (πάθος), denique argumentationem ipsam, quam Graeci πίστιν vocabant; quae vox latine conversa Ciceroni fides, Quibtiliano probatio dicitur. Aristoteles omnes probationes in duas partes divisit (p. 7, 31 sq.), quarum prior eas continet, quae nihil oratoris arte atque methodo indigent ideoque sine arte vel inartificiales dicuntur, posterior autem ex iis constat, quae arti et ingenio oratoris debentur, cum eas ex causa trahat et quodammodo ipse pariat; quamobrem artificiales nominantur. Verba eius haec sunt: τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἀτεχνοὶ εἰσιν, αἱ δὲ ἐντεχνοὶ. Illas probationes enumerat c. 15 (p. 55, 8 sq.): εἰσὶ δὲ πάντε τὸν ἀριθμὸν, νόμοι μάρτορες συνθῆκαι βάσανοι ὄρκος. Artificiales autem fiunt tantum duobus modis, ut ex c. 2 (p. 9, 17 sqq.) apertissime colligi potest: πάντες δὲ τὰς πίστει ποιῶνται διὰ τοῦ δεικνόναι ἢ παραδείγματα λέγοντες ἢ ἐνθυμήματα, καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. Est autem enthymema rhetoricus syllogismus, id est quaevis sententia, cui ratio adiuncta est. Fuerunt vero technici, qui enthymematis vocem aliter atque Aristoteles et qui eum sequebantur interpretarentur, ut iam Anaximeni enthymema erat sententia, quae ex contrariis constat (Sp. I, p. 197, 27 sq.): ἐνθυμήματα δὲ ἐστὶν οὐ μόνον τὰ τῷ λόγῳ καὶ τῇ πράξει ἐναντιούμενα, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, et porro (p. 200, 28 sq.): τὰ ἐνθυμήματα ἐκ τῶν ἐναντιώσεων σὺγκείται. Eodem modo Cicero, Graecos secutus, enthymematis vim definiit (Top. 13): enthymema est sententia ex contrariis conclusa. Videndum est igitur, repugnetne aut oratio adversarii sibi ipsi, aut facta eius iusto, pulchro, utili, verisimili, ceteris, et inde concludendum. Demetrius denique utramque definitionem coniunxit (Sp. III, p. 268, 21 sq.): τὸ δ' ἐνθύμημα διάνοιά τις ἢτοι ἐκ μάχης λεγομένη ἢ ἐν ἀκολουθίας σχήματι. Nos ut in ceteris, ita hic quoque Aristotelis auctoritatem sequemur, qui divisit artificiosis argumentationibus in duas classes p. 97, 14 haec addit: ἡ γὰρ γνώμη

μέρος ἐνθουμήματος ἐστίν. Quid discriminis vero inter γνώμην et ἐνθούμημα intercedat, infra planius explicabimus.

Παράδειγμα, quod alteram probationum artificialium classem efficere supra vidimus, est rhetorica inductio, quae fit exemplis, ut p. 9, 25 sqq. legitur: τὸ ἐπὶ πολλῶν καὶ ὁμοίων δαίκνυσθαι ὅτι οὕτως ἔχει ἐκαὶ μὲν (sc. ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς) ἐπαγωγή ἐστίν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα. Latinis rhetoribus ἐνθούμημα argumentum, παράδειγμα exemplum dicitur. Exempla ipsa rursus in duas classes dividit: in ea, quae rerum gestarum auctoritate nituntur et quae orator ipse fingit. Alterum genus iterum duas species continet, comparisonem vel similitudinem et fabulas Aesopicas. Dicit enim p. 97, 18 sqq.: παραδειγμάτων δ' εἶδη δύο· ἐν μὲν γὰρ ἐστὶ παραδειγματός εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα, ἐν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν. τούτου δ' ἐν μὲν παραβολή ἐν δὲ λόγοι, οἷον αἱ Αἰσώπειοι καὶ Λοβικοί¹⁾. Iam igitur sub finem huius explicationis stemma apponimus, quo evidentius et brevius quomodo singula inter se cohaereant, ostendamus.



Quae Aristotelis divisio tam perfecta est, ut eam fere omnes posteriores artium scriptores acceperint, quod et ex eorum libris qui exstant cognoscimus et Quintilianus (V, 1, 1) testatur: Ac prima quidem illa partitio ab Aristotele tradita consensum fere omnium meruit. Igitur nos quoque in eius partitione acquiescemus et quomodo singuli in singulis ab eo discrepent missum faciemus.

Restat ut de ratione dicamus, qua in afferendis technicorum locis usuri simus. Duae offeruntur viae, quae nos ad id quod quaerimus perducant, ut aut temporum seriem secuti singulorum rhetorum sententias atque praecipua enumeremus ostendentes, quid unus quisque ad id

¹⁾ Unum Demosthenicum fabulae Aesopicae exemplum servavit Plutarchus (vit. Dem. c. 23): ὅτε καὶ τὸν περὶ τῶν προβάτων λόγον ὁ Δημοσθένης, ὡς (sic addidit Voemellius) τοῖς λόγοις τοὺς κύνες ἐξέδωκε διηγησάμενος, αὐτὸν μὲν εἰκασε καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ κύνιν ὑπὲρ τοῦ δήμου μαχομένους, Ἀλέξανδρον δὲ τὸν Μακεδόνα μονόλογον προσηγόρευσεν.

de quo agitur attulerit, quid, ipse invenerit, quid a prioribus mutuatus sit, aut solam materiam spectantes dicendi leges prout res postulare videbitur colligamus. Quamquam nemo non intellegit illam priorem procedendi rationem longe optimam esse, tamen, cum multa sint, quae ea via progredi nos impediunt ea uti nullo modo possumus. Nam artis oratoriae historia propter fontium paupertatem et veterum testimoniorum raritatem tam manca et imperfecta est, ut plerumque praeter auctoris, cuius τέχνη adhuc exstat, dubium nomen nihil sciamus, alias hoc quoque perpetua oblivione obrutum prorsus evanuerit, alias praeter auctoris et libri nomen vel paucissima fragmenta nihil remanserit. Quae cum ita sint ne in devia aberremus hanc posteriorem viam eligemus simulque operam dabimus, ut quoad fieri poterit, in disponendis dicendi praeceptis singulorum rhetorum tempora respiciamus.

DE SENTENTIIS.

Γνώμησιν eam quam apud posteriores artis oratoriae magistros habet significationem iam illis temporibus notam fuisse, quibus haec nova ars a primis doctoribus tradebatur, auctor est Plato, qui Polum Agrigentinum, Gorgiae discipulum et comitem, gnomologiam ad orationem exornandam invenisse his verbis testatur (Phaedr. p. 267 C.): Τὰ δὲ Πλάτῳ πῶς φράσσομεν αὐτῷ μουσειᾷ λόγων, ὅς διπλασιολογίαν καὶ γνωμολογίαν καὶ εἰκονολογίαν, ὀνομάτων τε Διχομνειῶν ἃ ἐκείνῳ ἐδωρήσατο πρὸς ποιήσαν εὐσεπείας; Praeterea Isocrati quoque haec verbi significatio non ignota fuit; exstant enim or. II, 44 haec verba: εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας, ἐφ' αἷς ἐκεῖνοι μάλιστα ἐσπούδασαν, ὁμοίως ἂν καὶ πρὸς ταῦτα διαθεῖεν ¹⁾. Cum autem utriusque scripta rhetorica interierint, videamus, quid ex iis artibus, quas nobis quoque adire licet, hac de re discere possimus.

Anaximenes, cuius ars omnium quae exstant antiquissima est, γνώμην ita definit, ut sit propriae sententiae vel proprii iudicii pronuntiatio de rebus in universum, cf. Sp. I, p. 198, 12 sq.: γνώμη ἐστὶν ὡς ἐν κεφαλαίῳ καθ' ὅλων τῶν πραγμάτων δόγματος ἰδίου δῆλως. Quae definitio nimis amplis finibus inclusa est, cum non omnia universalia iudicia inter γνώμας numeranda sint. Etiam duo postrema exempla, quae rhetor ille ad illustrandam doctrinam suam attulit, collationes vel

¹⁾ Cf. R. Volkmanni praestantissimum librum qui inscribitur: Die Rhetorik der Griechen und Römer, p. 386.

similitudines, non autem γνώμαι sunt. Multo accuratius Aristoteles docet γνώμην esse enuntiationem de rebus in universum, ad actiones humanas pertinentem et quae expetenda vel fugienda sint monentem. Quam definitionem hoc modo expressit (p. 99, 17 s. 22): ἔστω δὴ γνώμη ἀπόφανσις, οὐ μέντοι περὶ τῶν καθ' ἕκαστον, οἷον ποῖός τις Ἴφικράτης, ἀλλὰ καθόλου, καὶ οὐ περὶ πάντων, οἷον ὅτι τὸ εὐθὺ τῷ καμπύλῳ ἐναντίον, ἀλλὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις εἰσὶν καὶ αἰρετὰ ἢ φευκτά ἐστὶν πρὸς τὸ πράττειν. Idem Cornificius dicit, qui γνώμην sententiae vocabulo vertit (IV, 17): Sententia est oratio sumpta de vita, quae aut quid sit aut quid esse oporteat in vita, breviter ostendit ¹). Quintiliano denique (VIII, 5, 3) est sententia vox universalis, quae etiam citra complexum causae possit esse laudabilis. Quae descriptio, ut illa Anaximenea, latius patet. Ceteris definitionibus, quae apud progymnasticos (Sp. II, p. 7, 12 sqq.; 25, 8 sq.; III, p. 463, 25 sq.), Rufum (Sp. I, p. 469, 15 sqq.), Doxopatrum (Walz. II, p. 288), scholiastas in Hermogenem (Walz. V, p. 422 VII, p. 765; ibid. p. 1154), ceteros reperiuntur, supersedere possumus, cum nihil novi ad illustrandam γνώμης significationem afferentes paucis tantum verbis mutatis priorum descriptiones repetierint. Idem statuendum est de latinis rhetoribus qui dicuntur minores.

Si quaeritur, quid discriminis inter sententiam atque enthymema intercedat, respondendum est, cum enthymema semper ex duabus enuntiationibus constet, quarum altera antecedens (ἀρχή), altera consequens (συμπέρασμα) vocatur, utramque partem separatim positam γνώμην efficere, ut Aristoteles recte observavit (p. 99, 21 sqq.): ἐπεὶ τὰ ἐνθυμήματα ὁ περὶ τοιούτων συλλογισμὸς ἐστὶ σχεδόν, τὰ τε συμπεράσματα τῶν ἐνθυμημάτων καὶ αἱ ἀρχαὶ ἀφαιρεθέντος τοῦ συλλογισμοῦ, γνῶμαί εἰσιν. Sunt autem sententiae, quae ratione minime possint carere (ut infra videbimus); quae ab enthymemate nihil differunt. Quae si respicimus, γνώμης significationem latius patere atque enthymema speciem eius esse facile cognoscimus. Ad quod illustrandum multum conferunt scholiastae in Hermogenem verba (Walz. VII, p. 765): διαφέρει δὲ γνώμης ἐνθύμημα ὡς Ἀλέξανδρός φησιν· τῆς μὲν ἀναποδείκτου προδήλων διαφέρει τῷ ἐκείνην μὲν ψιλήν εἶναι ἀπόφανσιν, τὸ δὲ ὡσπερ συλλογισμὸν τινα, τῆς δὲ ἀποδεδειγμένης, ἣ τὰ μέρη τῶν ὄλων ἐμπεριέχεται γὰρ τῇ γνώμῃ τὸ

¹) Originem et graecae et latinae vocis Quintilianus optime docuit (VIII, 5, 3): Utrumque nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis. Minus apta est Nicolai sophistae interpretatio (Sp. III, 464, 9 sqq.): εἴρηται δὲ γνώμη ἀπὸ τοῦ γνῶσιν τινα καὶ πίστιν ἐμποιεῖν τοῦ προκειμένου.

ἐνθύμημα, μέρος δὲ ἐκεῖνο, καθὼς ἡ ἀπόφρασις ἀποδέδεικται. Quae explicatio Aristotelis verbis (p. 97, 14) minime repugnabit, si apud eum ἡ μέρος vocabulum partem, hic autem speciem significare statuerimus ¹⁾.

In dividendis in genera sententiis artium scriptores spectabant, utrum γνώμη cum ratione adiecta reperiretur, an eiusmodi epilogo careret, atque sententias in duo genera dispertiebant, ut iam apud Anaximenem legimus (p. 198, 13 sqq.): δύο δὲ τρόποι τῶν γνώμων εἰσιν, ὁ μὲν ἐνδοξος, ὁ δὲ παράδοξος. ὅταν μὲν οὖν ἐνδοξον λέγῃς, οὐδὲν δεῖ τὰς αἰτίας φέρειν ²⁾ οὔτε γὰρ ἀγνοεῖται οὔτ' ἀπιστεῖται τὸ λεγόμενον. ὅταν δὲ παράδοξον λέγῃς, χρὴ φράζειν τὰς αἰτίας συντόμως, ἵνα τὴν ἀδολεσχίαν καὶ τὴν ἀπιστίαν διαφύγῃς. Idem Aristoteles dicit (p. 100, 5 sqq.), qui in utroque genere duas species inesse statuit, prout ratio adiecta sive per totam enuntiationem profertur sive in paucissima verba contrahitur, et sententiae ratione carentes iam prius vulgo notae erant vel prolatae statim ab unoquoque intelleguntur; si vero priorem divisionem in duo tantum genera retinuisset, melius eum facturum fuisse Spengelius (ad H. I.) recte censet. Verba autem Aristotelis haec sunt: ἀνάγκη τέτταρα εἶδη εἶναι γνώμης· ἢ γὰρ μετ' ἐπιλόγου ἔσται, ἢ ἄνευ ἐπιλόγου· ἀποδείξεως μὲν οὖν δεόμεναί εἰσιν ὅσα παράδοξόν τι λέγουσιν ἢ ἀμφισβητούμενον. ὅσα δὲ μηδὲν παράδοξον, ἄνευ ἐπιλόγου. Et porro (27 sqq.): περὶ τῶν ἀμφισβητούμενων (sc. ἀρμόττει εἶδος γνώμης) μὴ ἄνευ ἐπιλόγου, ἀλλ' ἢ προθέντα τὸν ἐπιλόγον γνώμη χρῆσθαι τῷ συμπεράσματι... ἢ τοῦτο προσιπόντα ἐπειπεῖν τὰ ἔμπροσθεν. περὶ δὲ τῶν μὴ παραδόντων, ἀδήλων δὲ, προστιθέντα τὸ διότι στρογγυλώτατα. Posteriores artis rhetoricae praeceptores praeter rationem sententiae additam vel omissam id quoque spectabant, essetne γνώμη simplex an duplex, ut Cornificius (IV, 17) et Quintilianus (VIII, 5, 4). Alii, imprimis progymnastici, cum in eiusmodi nugis rhetoricis frustra

¹⁾ Exempli gratia unum Demosthenicum enthymema apponimus (or. XV, 21): δεῖ τοὺς εὐτυχούντας περὶ τῶν ἀτυχούντων ἀεὶ φαίνεσθαι τὰ βέλτεστα βουλευόμενους, ἐπειδὴ περ ἄδηλον τὸ μέλλον ἀπασιν ἀνθρώποις. Infra autem, ubi eiusdem oratoris gnomicam afferemus, facere non poterimus, quin interdum enthymemate soluto utramque sententiam variis locis ponamus, cum non enthymematum, sed sententiarum usum observare nobis propositum sit.

²⁾ R. Volkmannus l. I. p. 387 putat hoc loco pro simplicī φέρειν legendum esse ἐπιφέρειν. Quamquam et compositum apud Anaximenem reperitur, ut c. 1, p. 173, κάλλους ἐπιφέρειν, c. 2, p. 178 ἰδέας ἐπιφέρειν, c. 22, p. 209 ἐπιλόγου ἐπιφέρειν, tamen multi loci, ubi rhetor simplex φέρειν posuit, codicum scripturam satis tuerentur ut c. 7 p. 194 πρόφρασις οἰστέον, c. 8 p. 194 φέροι τινὰς πράξεις, ibid. φέροι παράδειγμα, c. 14 p. 200 παραδείγματα φέρειν, c. 18 p. 204 φέρειν αἰτίας.

operam consumerent, alias divisiones proferre conati sunt, ut Quintilianus (ibid., 5) testatur: Sunt etiam, qui decem genera fecerint, sed eo modo, quo fieri vel plura possunt.—Ita Nicolaus sophista quattuordecim sententiarum genera enumerat, quae divisio e Syricii cuiusdam ludo rhetorico fluxit (cf. Sp. III, p. 464 sq.).

Iam ex iis, quae supra in sententiarum generibus enumerandis attulimus, satis apparet, primum in sententia recte conformata brevitatem requiri. Ita iam Anaximenes duobus locis sententiam brevem esse oportere praecepit, p. 198, 17 sq.: *χρῆ φράζειν τὰς αἰτίας συντόμως, ἵνα τὴν ἀδολεσχίαν καὶ ἀπιστίαν διαφύγῃς*, et p. 201, 28 sq.: *γνώμην ἢ ἐνθύμημα συντόμως εἰπεῖν*. Aristoteles quoque sententias, in quibus ratio adiecta non per totam enuntiationem proferatur, sed in paucissima verba contrahatur, efficacissimas esse dicit (p. 100, 19), simulque rationem quam brevissime adiciendam esse monet (*προστιθέντα τὸ διότι στρογγυλώτατα* p. 101, 1 sq.). Cornificius breviter vocem in definitione ipsa posuit et porro haec dicit: Sententiae simplices non sunt improbandae, propterea quod habet brevis expositio, si rationis nullius indiget, magnam delectationem.—Quod praeceptum Demetrius (Sp. III, p. 262, 9 sqq.) his verbis optime expressit: *ἔστιν ἀποφθεγματικὸν ἢ βραχύτης καὶ γνωμολογικὸν καὶ σοφώτερον τὸ ἐν ὀλίγῳ πολλὴν διάνοιαν ἠθροῖσθαι, καθάπερ ἐν τοῖς σπέρμασι δένδρων ὄλων δυνάμεις· εἰ δὲ ἐκτείνου τις τὴν γνώμην ἐν μακροῖς, διδασκαλία γίνεται· τις καὶ ῥητορεία ἀντὶ γνώμης* ¹⁾. Tum sententiae rei propriae et causae accommodatae esse debent, ut non insertae, sed ex causa ipsa profectae et quodammodo natae esse videantur, quod iam Anaximenes praecepit (p. 198, 18 sqq.): *δει τὰς γνώμας οἰκίας φέρειν πῶν πραγμάτων, ἵνα μὴ σκαῖον καὶ ἀρηρημένον φάνηται τὸ λεγόμενον*. Idem Quintilianus dicit (II, 4, 31 sq.): Quidam sententiarum gratia verbosissimos locos arcesunt, cum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt autem speciosa haec et utilia, si oriuntur ex causa: ceterum quamlibet pulchra locutio, nisi ad victoriam tendit, utique supervacua, sed interim etiam contraria est.

Quod ad multitudinem sententiarum in orationibus attinet, in iis adhibendis modum servandum esse rhetores monent, ut Cornificius (IV, 17):

¹⁾ Itaque longiores sententiae, quamquam universaliter prolatae sententiarum speciem habent, tamen propterea quod gravissimo de brevitate praecepto repugnant et potius ad amplificandam orationem quam ad demonstrandum afferuntur, non sententiae, sed locis communibus adnumerandae sunt, ut XX, 154; XXIV, 68 sq.; ibid. 75 sq. de legibus; XVIII, 47 de proditore; ibid. 246 de oratoris officio; XIX, 183 sqq. de legatorum officio, alia.

Sententias interponi rare convenit, ut rei actores, non vivendi praeceptores esse videamur: cum ita interponentur, multum afferent ornamenti et necesse est animo comprobet tacitus auditor, cum ad causam videat accommodari rem certam ex vita et moribus sumptam.—Eadem sententia Longini fuit (Sp. I, p. 327, 9 sq.): αἱ γνωμολογίαι ἀρισταὶ ἐπὶ τῇ κατασκευῇ· οὐ δεῖ δὲ κατακόρως ταύταις κεχρῆσθαι.

Cui denique et de quibus rebus sententiae dicendae sint, Aristoteles optime docet (p. 101, 6 sqq.): ἀρόμῳτι δὲ γνωμολογεῖν ἡλικία μὲν πρεσβυτέρῳ, περὶ δὲ τούτων ὧν ἔμπειρός τις ἐστίν, ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικούτων ὄντα γνωμολογεῖν ἀπρεπὲς ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν, περὶ δ' ὧν ἄπειρος, ἡλίθιον καὶ ἀπαίδευτον. Eadem Quintilianus repetivit (VIII, 5, 7 sqq.): In hoc genere cavendum est, id quod ubique, ne crebrae sint, ne palam falsae, ne passim et a quocunque dicantur. Magis enim decent eos, in quibus est auctoritas, ut rei pondus etiam persona confirmet. Quis enim ferat puerum aut adolescentulum aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo et quodammodo praecipiat?

Cum igitur sententia inter artificiosas argumentationes numeretur, in ea potissimum parte orationis, quae probatio vocatur, eam adhiberi manifestum est. Artificialia autem argumenta, ut supra vidimus, multa sunt; itaque oratori in adhibendis sententiis primum quaerendum est, quo loco γνώμην ponat; quod omnium technicorum optime docuit Anaximenes, qui sententiam et in deliberativo et in demonstrativo et iudiciali genere aliis argumentis adiungendam et sub finem singularum partium ponendam esse censet (p. 221, 6 sqq.): μετὰ δὲ ταῦτα (sc. alias argumentationes) γνωμολογητέον. δεῖ δὲ καὶ περὶ τὰ μέρη τῶν εἰκότων καὶ τῶν παραδειγμάτων ἐπὶ τελευτῆς ἐνθύμηματώδεις καὶ γνωμολογικὰς τὰς τελευτὰς ποιεῖσθαι. Porro (p. 227, 1 sq.) haec dicit: ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ μέρους ἐνθύμημα καὶ γνώμην εἰπὼν... et p. 228, 1 sq.: τελευτὴν ἤτοι γνώμην ἢ ἐνθύμημα παντὶ τῷ λόγῳ ἐπιθήσομεν. Ceterum eiusmodi sententia sub finem partis alicuius orationis posita proprio nomine ἐπιφώνημα appellari potest, quamquam ab ipso epiphonemate differt primum eo, quod quaevis sententia, describendi atque depingendi ornandique causa alteri addita ita appellatur, tum quod γνώμη non semper ultimum locum occupare, sed etiam initio orationis proferri solet, quod discrimen iam Demetrius animadvertit (p. 286, 25 sqq.): ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ γνώμη ἐπιφωνουμένην τινὶ εἴκειν ἐπὶ προειρημένοις, ἀλλ' οὐδ' αὐτὴ ἐπιφώνημα ἐστίν· καὶ γὰρ προλέγεται πολλάκις, λαμβάνει μόντοι χώραν ποτὲ ἐπιφωνήματος.

At non solum in probando atque refutando, sed etiam in ceteris orationis partibus sententiis uti licet. Quod ad prooemium attinet, non

reperi graecum praeceptum, quo sententiae usus initio orationis niti possit, itaque Fortunatiani tantum testimonium afferam (apud Halmium p. 110, 5 sqq.), qui inter prooemia „quibus non nunquam uti possumus, sed compellente ratione, id est cum desiderat causa“ γνωμικὸν quoque numerat.

Quintiliani temporibus usu receptum erat a prooemio ad narrationem per sententiam transire, quem morem ille magister dicendi reicit (IV, 1, 77): Illa vero frigida et puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam et huius velut praestigiae plausum petat: ut Ovidius lascivire in *Metamorphose* solet, quem tamen excusare necessitas potest res diversissimas in speciem unius corporis colligentem ¹⁾. In narratione ipsa sententiis uti licere docet Aristoteles (p. 157, 13): γνώμῃς δὲ χρηστέον καὶ ἐν διηγήσει καὶ ἐν πίστει. Utrum in epilogo sententiae adhiberi possint necne, contendere non audemus, cum neque rhetorum praecepta neque oratoris exempla nobis praesto sint.

Quibus praemissis ex singulis orationum partibus unum vel duo exempla afferemus, ex quibus oratoris usus aperte intellegi possit. Ita a sententia ea oratio incipit, quam Demosthenes Tisiae cuiusdam filio scripsit, cuius agro Callicles, eius malus atque avidus vicinus, potiri conatus eum tum ipse, tum per alios in ius vocabat. Reus igitur ad iudices conversus hoc modo incepit (p. 1272): Οὐκ ἦν ἄρ', ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, χαλεπώτερον οὐδὲν ἢ γείτονος πονηροῦ καὶ πλεονέκτου τοχεῖν. Quod se ipsum expertum esse statim addit: ὅπερ ἐμοὶ νονὶ συμβέβηκεν.

In oratione de corona (§ 96 sqq.) Demosthenes exempla afferens narrat Athenienses semper civitatibus oppressis contra eos, qui Graeciae principatu potiti essent, auxilium tulisse atque earum oppressores impugnassee; quae narratio sollemnibus sententiis interpositis illustratur (97): πέρας μὲν ἅπαντι ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου θάνατος, καὶ ἐν οἰκίῳ τις αὐτὸν καθεΐρας τηρῆ, δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐχειρεῖν μὲν ἅπαντι ἀσὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ἂν ὁ θεὸς διδῶ γενναίως.

Maxima autem sententiarum pars confirmationi et refutationi inservit. Ita I, 23 orator contendit Paeones, Illyrios, alias nationes iugum Macedonum graviter ferre, cum subditi esse non consueverint et Philip-

¹⁾ Ceterum Ovidius quod nos sciamus semel (III, 356 sq.) eiusmodi fabularum vinculo usus est; cf. nostram hac de re commentationem, quae est inserta iudici scholarum gymnasii Novodomensis, a. 1874.

pus homo superbus esse dicatur; quod alterum verisimile esse demonstratur sententia: τὸ γὰρ εὖ πράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίγνεται. Quod rhetores praecipiant, sententiam aliis argumentis adiungendam et sub finem singularum partium ponendam esse, hoc saepissime a Demosthene factum est, ut I, 5, ubi orator docet Olynthios Philippo non credere, cum sciant, quomodo tyrannus finitimas civitates credulas, ut Amphipolim et Pydniam, deceperit; quae sententia γνώμη confirmatur: ἄπιστον ταῖς πολιτείαις ἢ τυραννίς. Iam scholiasta hunc oratoris usum animadvertit: εἰπὼν τὰ μερικὰ παραδείγματα τῷ καθολικῷ τῆς γνώμης ταῦτα ἐπισφραγίζεται. Pulcherrimum epiphonematis exemplum VI, 27 legitur. Messenii alique Peloponnesi incolae, inquit orator, quamquam meam orationem probaverunt, tamen periculum libertatis amittendae remove non conabuntur, idemque Athenienses facient. Tum indignatione atque dolore commotus sub finem haec addit: οὕτως ἡ παρασίχ' ἡδονὴ καὶ ῥαστώνη μείζον ἰσχύει τοῦ ποθ' ὕστερον συνοίσειν μέλλοντος.

Ad refutandum adhibita est sententia IX, 16. Quamquam Athenienses cum Philippo per legatos pacem iam fecerant atque iure iurando sese obstrinxerant, nihilominus Philippus, quem Atheniensium legati Pellae expectabant, interea tempus non terebat atque Thraciae oppida expugnabat, quamobrem Demosthenes ius iurandum ab eo violatum esse affirmabat atque si quis hoc negaret, ea oppidula vilia esse dicens, eius sententiam his verbis refellere conatus est: τὸ δ' εὐσεβὲς καὶ τὸ δίκαιον ἂν τ' ἐπὶ μικροῦ τις ἂν τ' ἐπὶ μείζονος παραβαίη, τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν. Aliud exemplum ex oratione de corona afferemus (192). Aeschines enim cladis Atheniensium a Philippo acceptae culpam Demostheni tribuebat, quoniam eius consilio Athenienses ad bellum gerendum commoti essent; orator autem sese excusat atque adversarii exprobrationem hac sententia reicit: τὸ μὲν γὰρ πέρας, ὡς ἂν ὁ δαίμων βουληθῆ, πάντων γίγνεται, ἢ δὲ προαίρεσις αὐτὴ τὴν τοῦ ἀμβούλου διάνοιαν δηλοῖ. Ad idem perficiendum porro (§ 289) epigrammate usus est:

Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν,
Ἐν βιοτῇ μοῖραν δ' οὐ τι φογεῖν μερόπων.

Restat ut quaeramus, quidnam utilitatis afferant sententiae in orationibus adhibita. Praeter id quod gravissimum est, sententiis recte usurpatis fidem fieri, tria iis efficiuntur. Nam primum oratio sententiis exornatur et illae praestantissimae eloquendi virtutes, ut ἀστειότης, μεγαλοπρέπεια, σεμνότης iis augentur, quod ex rhetorum praeceptis perspicui

potest. Cf. Anaxim. p. 201, 27 sqq.: οὐδὲν δέονται αἱ μαρτυρίαι ἐπιλόγων, εἴαν μὴ βούλη γράμην ἢ ἐνθύμημα συντόμως εἰπεῖν τοῦ ἀστείου ἔνεκεν. Porro Aristidis verba (Sp. II, 466, 21): καὶ τὸ γνωμολογεῖν τῆς σεμνότητος ἐστίν. Quamobrem Demetrius eloquendi praecepta tradens γνώμην inter ea nominat, quibus orationis magnificentia efficitur et Cornificius quoque non in inventione, sed in elocutione de sententia egit inter figuras eam numerans, quod Quintilianus (IX, 3, 98) prorsus improbandum esse censet idque summo iure; nam sententia recte adhibita ipsa per sese orationem ornatam reddit, non vero tantum ornandi causa adhibenda est. Itaque Demosthenes summa laude afficiendus est, qui nunquam, ut iam Volkmaunus (l. l. p. 388) recte observavit, tantum orationis exornandae causa sententias attulerit.

Alterum et tertium, quod sententiae in oratione efficiant, optime Aristoteles docet, qui natura humana penitus perspecta iis quae ipsum philosophia docuerat, in rhetorica quoque opportunissime usus est. Qui audiunt, iam domo proprias opiniones ad actiones et vitam humanam cum privatam, tum publicam spectantes secum afferunt; si igitur orator easdem quas illi habent opiniones in universum profert, omnes sese iam antea idem sensisse laetantur atque admiratione proprii acuminis arrepti facilius ea credunt, quae orator iis persuadere conatur. Itaque si orator apud iudices vel in contione aliquid proficere vult, antea opiniones eorum qui audiunt penitus perspectas habeat necesse est. Verba autem Aristotelis haec sunt (p. 102, 8 sqq.): ἔχουσι δ' εἰς τοὺς λόγους βρῆθειαν μεγάλην μίαν μὲν διὰ τὴν φορτικότητα τῶν ἀκρατῶν· χαίρουσι γὰρ εἴαν τις καθόλου λέγων ἐπιτύχη τῶν δοξῶν ὡς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσιν· ὁ δὲ λέγων, θῆλον ἐστὶν ὧδε, ἅμα καὶ πῶς δεῖ αὐτὰς θηρεύειν· ἢ μὲν γὰρ γνώμη, ὡς περ εἴρηται, ἀπόφανσις καθόλου ἐστίν· χαίρουσι δὲ καθόλου λεγομένου ὁ κατὰ μέρος προῦπολαμβάνοντες τυγχάνουσιν... ὥστε δεῖ στοχάζεσθαι πῶς τυγχάνουσι ποῖα προῦπολαμβάνοντες, εἴθ' οὕτω περὶ τούτων καθόλου λέγειν. Si igitur orator in contione talis civitatis verba facit, quae δημοκρατικῶς administratur, popularibus sententiis ei utendum esse, quibus civium animos sibi conciliet, nemo non videt. Itaque Demosthenis popularibus sententiis collectis atque allatis ostendamus oratoris usum in hac re quoque cum rhetoricis praeceptis congruere: I, 5 (cf. supra) VI, 21 οὐκ ἀσφαλεῖς ταῖς πολιτείαις αἱ πρὸς τοὺς τοράννους λίαν ὁμιλίαι. Ibid. 25 τόραννος ἅπας ἐχθρὸς ἐλευθερία καὶ νόμοις ἐναντίος. XIX, 296 οὐκ ἐστὶ ὅ τι τῶν πάντων μᾶλλον εὐλαβεῖσθαι δεῖ ἢ τὸ μείζω τινὰ τῶν πολλῶν εἶναι γίνεσθαι. Ibid. 300 πάντων ἐχθρότατον, καὶ φοβερότατον τὸ τὸν προσεσχηκότα εἶναι οἰκτεῖον γίνεσθαι τοῖς μὴ τῶν αὐτῶν ἐπιθυμοῦσι τῷ

δήμῳ. VI, 24 ἐν δέ τι κοινὸν ἢ φύσις τῶν εὖ φρονούντων ἐν αὐτῇ κέκτηται φυλακτήριον, ὃ πᾶσι μὲν ἐστὶν ἀγαθὸν καὶ σωτήριον, μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεισι πρὸς τοὺς τυράννους. τί οὖν ἐστὶ τοῦτο; ἀπιστία. XV, 18 οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως ὀλίγοι πολλοῖς καὶ ζητοῦντες ἄρχειν τοῖς μετ' ἰσηγορίας ζῆν ἡρημένοις εὖνοι γένοιτ' ἂν. Ibid. 20 τοὺς τὰς πολιτείας καταλύοντας καὶ μεθιστάντας εἰς ὀλιγαρχίαν κοινοὺς ἐχθροὺς παραινῶ νομίζειν πάντων τῶν ἐλευθερίας ἐπιθυμούντων. XXII, 51 πάντα πρῶτον ἐστὶν ἐν δημοκρατίᾳ. XXI, 67 τῶν ἴσων καὶ τῶν δικαίων ἕκαστος ἡγεῖται ἑαυτῷ μετεῖναι ἐν δημοκρατίᾳ. Ibid, 207 μὴ ἔστω μηδεὶς ἐν δημοκρατίᾳ τηλικούτος, ὥστε συνειπῶν τὸν μὲν ὑβρίσθαι, τὸν δὲ μὴ δοῦναι δίκην ποιῆσαι. XXII, 64 τὸν ὑπὲρ πόλεως πράττοντά τι δεῖ τὸ τῆς πόλεως ἦθος μιμεῖσθαι. XIX, 7 τὸ μὲν ἐκ τούτων λαμβάνειν, ἐξ ὧν ἡ πόλις βλάπτεται, πάντες οἰδ' ὅτι φῆσαι' ἂν εἶναι δεινὸν καὶ πολλῆς ὀργῆς ἄξιον. XXII, 16 τὴν τῶν ὄλων σωτηρίαν πρῶτον ὑπάρχειν δεῖ παρασκευασμένην τῷ δήμῳ ¹⁾).

Haec referuntur ad eos qui audiunt; iam sequuntur Aristotelis verba, quae ad oratorem ipsum spectant: cum enim sententiae ostendant, quid orator in vivendo atque agendo comprobet aut respuat, mores eius ex sententiis quas adhibuit cognoscuntur et bonae sententiae sunt ista dicam optima oratoris morum testimonia: ταύτην τε δὴ ἔχει μίαν χρῆσιν τὸ γνωμολογεῖν καὶ ἐτέραν κρείττω· ἠθικὸς γὰρ ποιεῖ τοὺς λόγους. ἦθος δ' ἔχουσιν οἱ λόγοι, ἐν ὅσοις δῆλη ἢ προαίρεσις· αἱ δὲ γνῶμαι πᾶσαι τοῦτο ποιοῦσι διὰ τὸ ἀποφαίνεσθαι τὸν τὴν γνώμην λέγοντα καθόλου περὶ τῶν προαιρέσεων, ὥστ' ἂν χρησται ὧσιν αἱ γνῶμαι, καὶ χρηστοθήη φαίνεσθαι ποιοῦσι τὸν λέγοντα. Est autem duplex ἦθος, ut Dionysius Halicarnassensis (art. rhet. c. 11, § 2) docet; alterum constat in incitando ad virtutem et avertendo a scelere, alterum in eo, ut oratio et rei de qua agitur et iis qui audiunt et dicunt apta atque accommodata esse videatur: τὸ ἦθος φημι διπλοῦν εἶναι, κοινόν τε καὶ ἴδιον. κοινόν λέγω τὸ φιλοσοφίας ἐχόμενον, τὰ εἰς ἀρετὴν προτρέπον καὶ κακίας ἀπαλλάττον. ἴδιον δὲ τὸ ῥητορικόν, τὸ πρέποντας καὶ προσήκοντας τοὺς λόγους ποιεῖσθαι περὶ τῶν ὑποκειμένων πραγμάτων τῷ λέγοντι αὐτῷ καὶ τῷ ἀκούοντι. In hoc altero ἦθει adhibendo praeter ceteros excelluisse constat Lysiam, in cuius orationibus mores eorum quibus ille orationes scripsit, optime expressi sunt; nos de altero, illo philosophico, agimus. Quantum ad commovendam in oratione fidem faciat, ut orator vir probus et honestus esse videatur, (quod non tam iam antea de eo cognitum esse, quam in oratione ipsa

¹⁾ Ex Stob. Flor. XIII, § 17 οὐδὲν ἂν εἴη τοῖς ἐλευθεροῖς μείζον ἀτόχημα τοῦ στέρεσθαι τῆς παρησίας.

apparere debet), omnes artium scriptores, imprimis Aristoteles, summa cum gravitate praedicant. Qui praestantissimus dicendi praeceptor iam initio libri primi de rhetorica (p. 8) ea quibus in oratione fides fiat enumerans primo loco dicentis mores posuit: τῶν δὲ διὰ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστων τρία εἶδη ἐστίν· αἱ μὲν γὰρ εἰσιν ἐν τῷ ἦθει τοῦ λέγοντος. Fit autem, ut ibidem porro explicatur, fides per dicentis mores, si oratio ita comparata est, ut oratorem fide dignum esse ostendat; probis enim facillime assentimur. Itaque summo iure sub finem eius expositionis haec verba adduntur: σχεδὸν ὡς εἰπεῖν κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος. Quod cum tam grave sit, minime supervacaneum esse puto sententiis ex Demosthenicis orationibus collectis ostendere, quidnam inde de ipsius oratoris ἦθει iudicari possit.

Quae igitur ut ita dicam Demosthenis ethicam efficiunt, sunt: II, 10 οὐκ ἐστὶν ἀδικοῦντα καὶ ἐπιποροῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι. XVIII, 228 θεάσασθε ὡς σαθρὸν τοῖνον ὡς εὐικέν ἐστι φύσει πᾶν ὃ τι ἂν μὴ δικαίως ἢ πεπραγμένον. XIX, 208 Τάληθές ἰσχορὸν, καὶ τούναντιον ἀσθενές τὸ συνειδέναί πεπρακόσιν αὐτοῖς τὰ πράγματα. IX, 16 (cf. supra). XVIII, 242 πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον. Ibid. 247 ὥσπερ γὰρ ὁ ὠνούμενος νενίκηκε τὸν λαβόντα, ἐὰν πρίηται, οὕτως ὁ μὴ λαβὼν καὶ διαφθαρεὶς νενίκηκε τὸν ὠνούμενον. Ibid. 269 νομίζω τὸν μὲν εὖ παθόντα δεῖν μεμνηθῆναι πάντα τὸν χρόνον, τὸν δὲ ποιήσαντα εὐθὺς ἐπιλεληθῆναι. XXIV, 49 τοῖς γὰρ ἄκουσιν ἁμαρτοῦσι μέτεστι συγγνώμης, οὐ τοῖς ἐπιβουλεύουσιν. XVIII, 274 ἀδικεῖ τις ἐκῶν ὀργήν καὶ τιμωρίαν κατὰ τούτου· ἐξῆμαρτέ τις ἄκων συγγνώμην ἀντὶ τῆς τιμωρίας τούτῳ. XIX, 239 οὐ γὰρ εἰ κρύβδην ἐστὶν ἢ ψῆφος, λήσει τοὺς θεοὺς. XXIII, 197 ἔστι πολὺ μείζων τιμὴ τῆς χαλκῆς εἰκόνης τὸ καλῶν καγαυῶν ἀνδρῶν κεκρίσθαι πρώτους. XXI, 99 τοὺς ἀδίκως τι πάσχοντας, ὃ μὴ δυνήσονται φέρειν, ἔλεεῖν προσήκει, οὐ τοὺς ὧν πεποιήκασιν δεινῶν δίκην δίδοντας. Ibid. 100 οὐδεὶς γὰρ ἐστὶ δίκαιος τυγχάνειν ἐλέου τῶν μηδέν' ἐλεούτων οὐδὲ συγγνώμης τῶν ἀσυγγνωμόνων. XVIII, 97 (cf. supra). XX, 135 πάντα μὲν ἐδλαβεῖσθαι δεῖ ποιεῖν τὰ δοκοῦντα καὶ ὄντ' αἰσχρά. Ibid. 140 παντάπασιν φύσεως κακίας σημεῖόν ἐστὶν ὁ φθόνος. Ibid. 151 πολὺ γὰρ βελτίονος ἀνδρὸς ἐστὶν ἐφ' οἷς αὐτὸς εὖ πεποίηκεν ἀξιοῦν τιμᾶσθαι ἢ ἐφ' οἷς ἕτεροι ποιήσαντες ἐτιμῆθησαν φθονεῖν. XVI, 10 δεῖ δὲ σκοπεῖν μὲν καὶ πράττειν ἀεὶ τὰ δίκαια, συμπαρατηρεῖν δ' ὅπως ἅμα καὶ συμφέροντα ἔσται ταῦτα.

Praeter mores hoc quoque ad fidem faciendam maxime valet, ut orator prudens esse videatur. Qui enim aliis consilia dare vult, eum ipsum hominum naturam atque ingenium fortunaeque varietatem per-

spectam habere et ut in vita privata, ita in publica in agendo optima quaeque eligere et sequi necesse est. Hoc quoque non fugit Aristotelem, qui initio secundi libri de rhetorica (p. 61, 16, sqq.) haec docet: τοῦ μὲν οὖν αὐτοῦς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας τρία ἐστὶ τὰ αἷτια· ἐστὶ δὲ ταῦτα φρόνησις καὶ ἀρετὴ καὶ εὐνοία. Videamus igitur, quid hac in re ab oratore discere possimus.

Quid Demosthenes de multitudinis ingenio cognitum habuerit, sententiae de usu atque consuetudine hominum prolatae ostendunt: II, 8 οἱ τὰ πρῶτ' ἐξηπατημένοι τὰ λοιπὰ οὐ πιστεύουσιν. III, 32 ἔστι δ' οὐδέποτ', εἶμαι, μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας· ὅποι' ἄττα γάρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ἦ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημ' ἔχειν. XXII, 64 ὁποῖους τινὰς ἂν φαίνοιτο' ἀγαπῶντες καὶ σώζοντες, τοῖτοις ἅμιοι δόξεται εἶναι. XVIII, 3 φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει τῶν μὲν λοιδοριῶν καὶ κατηγοριῶν ἀκούειν ἡδέως, τοῖς ἐπαινοῦσι δ' αὐτοὺς ἀχθεσθαι. Ibid. 915 τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὑπεστὶν τις ἢ πλείων ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τσθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἐτι μισεῖ. XIX, 313 οἱ δ' ἐπὶ τοῖς καλῶς πραχθεῖσιν ἐπαινοὶ τῶν οὕτω τετελευτηκότων ἴδιον κτήμ' εἶναι' (οὐδὲ γὰρ ὁ φθόνος αὐτοῖς ἐτι τημιχαῦτ' ἐναντιοῦται). VI, 27 (cf. supra). Ibid. 34 ὁρῶ ὡς τὰ πολλὰ ἐνίους οὐκ εἰς τοὺς αἰτίους, ἀλλ' εἰς τοὺς ὑπὸ χεῖρα μάλιστα τὴν ὀργὴν ἀφιέντας. XVI, 24 τὰ δίκαια πάντες, εἰάν καὶ μὴ βούλωνται, μέχρι τοῦ γε αἰσχύνονται μὴ πράττειν, τοῖς δ' ἀδίκοις ἐναντιοῦντο φανερώς, ἄλλως τε κἄν τινας βλάπτωνται. XXIII, 114 τῶν ὑπὲρ τοῦ πλεονεκτεῖν ἐπιχειρούντων, οἷς οὐ χρεῖ, οὐ τὰ δυσχερέσταθ' ἕκαστος εἴωθε λογιζέσθαι, ἀλλ' ἂ κατορθώσας διαπράζεται. XIX, 215 οὐδεὶς πάποθ' ὁμολογῶν ἀδικεῖν ἄλλω, ἀλλ' ἀναισχυνοῦσιν, ἀρνοῦνται, ψεύδονται, προσάσεις πλάττονται, πάντα ποιοῦσιν ὑπὲρ τοῦ μὴ δοῦναι δίκην. p. 1101 μέγα τοῖς ἡτοχηκόσι δυνηθῆναι περὶ ὧν πεπόνθασιν εἰπεῖν καὶ εὐμενῶς ἐχόντων ἀκροατῶν τυχεῖν. XXIII, 124 πολλοῖς δῆπου διὰ καιροῦς τινας πωλάκις φίλοι γιγνόμεθα.

Iam sequuntur sententiae, quae ad res secundas atque adversas referuntur: I, 23 (cf. supra). II, 20 αἱ εὐπραξίαι δεινὰ συγκυβῆσαι τὰ ὀνειδῆ. Ibid. 22 μεγάλη ῥοπή μᾶλλον δὲ τὸ ὄλον ἢ τύχη παρὰ πάντ' ἐστὶν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. V, 12 εὐτοχίαν συμπάσης ἐγὼ τῆς ἐν ἀνθρώποις οὐσης δεινότητος καὶ σοφίας ὁρῶ κρατοῦσαν. XVIII, 200 ἀποτυχεῖν πᾶσι κοινόν· ἐστὶν ἀνθρώποις, ὅταν τῷ θεῷ ταῦτα δοκῇ. Ibid. 252 ἐγὼ δὲ ὅλως μὲν ὅστις ἀνθρώπος ὦν ἀνθρώπῳ τύχην προφέρει, ἀνόητον ἡγοῦμαι. ἦν γὰρ ὁ βέλτεστα πράττειν νομίζων καὶ ἀρίστην ἔχειν οἴομενος οὐκ οἶδεν εἰ μενεῖ τοιαύτη μέχρι τῆς ἐσπέρας· πῶς χρεῖ περὶ ταύτης λέγειν ἢ ὀνειδίξειν ἑτέρῳ; Ibid. 308 πολλὰ τὰνθρώπινα, idemque p. 998. IX, 38 τὸν καιρὸν

ἐκάστου τῶν πραγμάτων ἢ τύχῃ καὶ τοῖς ἀμελοῦσι κατὰ τῶν προσεχόντων πολλάκις παρασκευάζει. XX, 162 τὸ μέλλον ἀδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις καὶ μικροὶ καιροὶ μεγάλων πραγμάτων αἷτιοι γίνονται. διὸ δεῖ μετριάζειν ἐν ταῖς εὐπραξίαις καὶ προορωμένους τὸ μέλλον φαίνεσθαι. XV, 21 (cf. supra). XVI, 30 ἤδη τι καὶ παρ' ἐλπίδας ἐξέβη. XXI, 205 κινδυνεύει τὸ λίαν εὐτυχεῖν ἐνίσιτ' ἐπαχθεῖς ποιεῖν. XXIII, 113 οὐκ ἔχει τῶν εὐπρακτόντων οὐδεὶς ὄρον ἢ τελευτὴν τῆς τοῦ πλεονεκτεῖν ἐπιθυμίας. δι' ὅπερ πολλοὶ πολλάκις μειζόνων ἐπιθυμοῦντες τὰ παρόντα ἀπώλεσαν.

Ad loquendum, considerandum, optandum, imprimis autem ad agendum referuntur hae sententiae: II, 12 ἅπας μὲν λόγος, ἂν ἀπῆ τὰ πράγματα, μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν. V, 2 δύσκολον φέσει καὶ χαλεπὸν τὸ βουλευέσθαι. I, 11 πρὸς τὸ τελευταῖον ἐκβάν ἕκαστον τῶν πρὶν ὑπαρξάντων κρίνεται. XIV, 33 δεῖ τοὺς περὶ πραγμάτων μεγάλων σκοποῦντας μηδένα συμφέροντα λογισμὸν παραλιπεῖν διὰ μηδεμίαν πρόφασιν. III, 18 εὖθασθαι ῥάδιον, εἰς ταῦτ' ἅπανθ' ὅσα βούλεται τις ἀθροίσαντ' ἐν ὀλίγῳ, ἐλέσθαι δέ τίς ὅταν περὶ πραγμάτων προτεθῆ σκοπεῖν, οὐκέθ' ὁμοίως εὐπορον, ἀλλὰ δε, τὰ βέλτιστ' ἀντὶ τῶν ἡδέων, ἂν μὴ συναμφοτέρ' ἐξῆ, λαμβάνειν. Ibid. 19 ῥᾶστον ἅπαντων ἐστὶν αὐτὸν ἐξαπατῆσαι· ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἶεται, τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ οὕτω πέφυκεν· XVIII, 192 τὸ παρεληλυθὸς παρὰ πᾶσιν ἀφεῖται καὶ οὐδεὶς περὶ τούτου προτιθήσθαι οὐδαμοῦ βουλήν, τὸ δὲ μέλλον ἢ τὸ παρὸν τῆν τοῦ συμβούλου τάξιν ἀπαιτεῖ. II, 23 οὐκ ἔστι δ' αὐτὸν ἀργοῦντα οὐδὲ τοῖς φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιεῖν, μὴ τί γε δὴ τοῖς θεοῖς. III, 2 πρὶν τὴν ἀρχὴν ὀρθῶς ὑποθέσθαι, μάταιον ἡγοῦμαι περὶ τῆς τελευτῆς ὄντινον ποιεῖσθαι λόγον. XIX, 80 ἡ ἀλήθεια καὶ τὰ πεπραγμέν' αὐτὰ βοᾷ. IV, 5 φέσει ὑπάρχει τοῖς παροῦσι τὰ τῶν ἀπόντων καὶ τοῖς ἐθέλουσι πονεῖν καὶ κινδυνεύειν τὰ τῶν ἀμελούντων. Ibid. 10 ἐγὼ οἶμαι τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τῆν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. VIII, 51 ἐστὶν ἐλευθέρῳ ἀνθρώπῳ μεγίστη ἀνάγκη ἢ ὑπὲρ τῶν γιγνομένων αἰσχύνη, δούλῳ δὲ πληγαὶ καὶ ὁ τοῦ σώματος αἰκισμός. I, 27 ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσιν. XVIII, 159 ὁ τὸ σπέρμα παρασχὼν αὐτὸς τῶν φόντων κακῶν αἷτιος. XXII, 62 πολλὰ ἡμῶν ἕκαστος οὐχ ὡς βούλεται πράττει. XXIII, 50 πανταχοῦ τὴν πρόφασιν βεβαιούσαν τὸ πρᾶγμ' εὐρήσομεν. XXIII, 118 αἱ ἀναγκαῖαι χρεῖαι τοὺς τοῦ τί πρακτέον ἢ μὴ λογισμοὺς ἀναιροῦσιν ἅπαντας. p. 966 ἅπαντες ἀνθρώποι εἰώθασιν παρ' αὐτὰ τ' ἀδικήματα μᾶλλον ἢ χρόνῳ ἐγγεγεννημένων ἀγανακτεῖν. p. 1313 πολλὰ δουρικὰ καὶ ταπεινὰ πράγματα τοῖς ἐλευθέροις ἢ πενία βιάβεται ποιεῖν. I, 20 δεῖ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν· ἐστὶ γενέσθαι τῶν δεόντων. p. 958 πίστις ἀφορμὴ πασῶν ἐστὶ μεγίστη πρὸς χρηματισμὸν. I, 23 πολλάκις δοκεῖ τὸ φυλάξαι

τάγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι. II, 26 πολὺ ῥᾶον ἔχοντας φυλάττειν ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκεν. XX, 50 τῶν ἀνθρώπων οἱ πλεῖστοι κτῶνται μὲν τάγαθὰ τῷ καλῶς βουλεύεσθαι καὶ μηδενὸς καταφρονεῖν, φυλάττειν δ' οὐκ ἐθέλουσι τοῖς αὐτοῖς τούτοις. XVIII, 5 πάντων ἀποστερεῖσθαι λυπηρόν ἐστι καὶ χαλεπόν, ἄλλως τε κἂν ὑπ' ἐχθροῦ τῷ τοῦτο συμβαίῃη.

Ad leges, rempublicam administrandam, bellum gerendum referuntur haec: XX, 49 βλάπτουσιν οἱ πονηροὶ νόμοι καὶ τὰς ἀσφαλῶς οἰκεῖν οἰόμενας πόλεις. XXIV, 205 νόμος αἰσχρὸς ὅταν κύριος ἦ, τῆς πόλεως ὄνειδός ἐστὶν τῆς θεμενῆς καὶ βλάπτει πάντας, ὅσοι περ ἂν αὐτῷ χρῶνται. III, 15 τὸ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὢν τῇ τάξει πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστιν. VIII, 66 πόλεως πλοῦτον ἡγοῦμαι συμμαχούς, πίστιν, εὐνοίαν. IV, 6 καὶ συμμαχεῖν καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τούτοις ἐθέλουσιν ἅπαντες, οὓς ἂν ὀρῶσι παρεσκευασμένους καὶ πράττειν ἐθέλοντας ἂ χρῆ. XX, 17 τῶν ἀπασῶν ἡσάντινος πολιτείας τὸ κομίζεσθαι τοὺς εὖνους τοῖς καθεστῶσι χάριν ἂν ἐξέλῃς, οὐ μικρὰν φυλακὴν αὐτῶν ταύτην ἀφηρηκῶς ἔρει. II, 14 ὅποι τις ἂν προσθῆ κἂν μικρὰν δύναμιν, πάντ' ὠφελεῖ. IV, 24 οὐκ ἔστ' ἄρχειν μὴ διδόντα μισθόν. II, 9 ὅταν ὑπ' εὐνοίας τὰ πράγματα σοστῆ, καὶ πᾶσι ταῦτ' ἀσπερ τῶν μετέχουσι τοῦ πολέμου, καὶ συμπονεῖν καὶ φέρειν τὰς συμφορὰς καὶ μένειν ἐθέλουσιν ἄνθρωποι' ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμά ἅπαντ' ἀνεχαιτίσει καὶ διέλυσεν. XIX, 6 πολλάκις συμβαίνει πολλῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων καιρῶν ἔν βραχεῖ χρόνῳ γίνεσθαι, ὃν ἕαν τις ἐκὼν καθύψῃ τοῖς ἐναντίοις καὶ προδῶ, οὐδ' ἂν ὀτιοῦν ποιῆ, πάλιν οἷός τ' ἔσται τῶσαυ. IV, 39 δεῖ τοὺς ὀρθῶς πολέμῳ χρωμένους οὐκ ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' αὐτοὺς ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων ¹⁾.

Si eam quam collegimus Demosthenicam γνωμολογίαν in universum spectamus, oratoris in hac quoque parte praestantiam satis mirari non possumus: respondent enim sententiae ab eo prolatae omnibus technicorum praeceptis ita, ut nihil invenias, quod in iis non comprobet: sunt enim breves, propriae neque ita usurpatae, ut earum numerus modum excedat. Ac ne hoc quidem praetermittendum est, paucissimas sententias reperiri in iis orationibus, quas Demosthenes in privatis

¹⁾ Plura Demosthenica dicta, quamquam nobis praesto sunt, cumulare nolumus cum haec ad oratoris usum demonstrandum sufficere videantur. Qui amplio rem sententiarum collectionem desiderat, inspiciat Ioannis Lœni librum, qui inscribitur: «Γνωμολογίαι καὶ ὁμοιώσεις ἐκ τῶν Δημοσθένους λόγων τε καὶ ἐπιστολῶν εἰς τὰ κεφάλαια τῶν ἀρετῶν καὶ κακιῶν κεφαλαίουμεναι»; editus est Genevae, apud I. Tor-naesium, a. 1603.

causis aut ipse habuerit aut aliis scripserit; cum autem iam aetate provector in contionibus atque causis publicis versaretur et sententiae, quibus uteretur, eius ipsius auctoritate atque experientia niti possent, iam saepius eas adhibebat ¹⁾. Quae non solum orationibus, sed oratori ipsi splendidissimo ornamento sunt, cum si ethicam spectas, morum praestantiae, si vitam privatam, in agendo prudentiae atque hominum fortunaeque experientiae, si reipublicae administrationem, boni erga rempublicam animi atque popularitatis optima testimonia reperies. Quamobrem et qui audiebant populares eius sententias, ut ipse docet (VI, 26), applaudentes excipiebant, et rhetores variis occasionibus datis eas laudabant, ut Georgius (Walz. I, p. 557), cuius verba repetere liceat: ὥστε πάρεστιν ἐπαινεῖν κατ' ἀξίαν τὸν ῥήτορα κάλλιστα γνωμιτεύσαντα.

Non opus est orator omnes quibus uti velit sententias ipse formet, sed iam ab aliis formatas adhibere potest, quae a Quintiliano (V, 11, 36) auctoritates nominantur, in quarum numero proverbialia et poetarum sententiae reperiuntur. Quae cum iam antea ficta ab oratore tantum asciscantur, summo iure ab Aristotele (p. 56, 15 sqq.) testimoniis adiunguntur: μάρτυρές εἰσι διττοί, οἱ μὲν παλαιοὶ οἱ δὲ πρόσφατοι. λέγω δὲ παλαιοὺς μὲν τοὺς τε ποιητὰς καὶ ὅσων ἄλλων γνωρίμων εἰσι κρίσεις φανεραί. ἔτι καὶ αἱ παροιμίαι μαρτύρια ἔστιν. Idem de usu eiusmodi communium sententiarum (p. 101, 13 sqq.): χρῆσθαι δεῖ, inquit, καὶ ταῖς τεθρολημέναις καὶ κοιναῖς γνώμαις, ἐὰν ὦσι χρήσιμοι. διὰ γὰρ τὸ εἶναι κοινὰ ὡς ὁμολογούντων πάντων, ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν. Proverbialia quoque breves atque aptae vulgo receptae sententiae sunt et hoc ipso, ut Quintilianus recte monet, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt. Quibus orationem venustam fieri Demetrius docet (p. 297, 11 sq.): ἐν δὲ τοῖς πράγμασιν λαμβάνονται χάριτες ἐκ παροιμίας. φύσει γὰρ χάρις ἐστὶν παροιμία.

Quaenam ex iis quas collegimus sententiis proverbialia fuerint aut a Demosthene formatas deinceps proverbialia facta sint, scrutari mittemus dubitantes, num quid certi in ea re statui possit; longe utilius erit videre, quid de iis sententiis dicamus, quarum fontes nobis non ignoti sunt.

¹⁾ Non probanda sunt Rehdantzii verba, qui in indice rhetorico novem Philippicis orationibus adiuncto (p. 173, 3 ed.), Demosthenem in prioribus orationibus plures sententias adhibuisse dicit: in iis enim orationibus, quas iuvenilis orator in sua causa adversus tutores habuit aut aliis scripsit, fere nullae sententiae reperiuntur, in posterioribus autem, ut in Philippicis et de corona, plurimae.

Fere omnes sententiae e poetis haustae ad certamen oratoris cum Aeschine referuntur ¹⁾. Ita XVIII, 289 epigrammate, quod in honorem civium apud Chaeroneam caesorum publice inscriptum est, Aeschinis criminatio refellitur; cuius tamen epigrammatis nonnulli oratorem ipsum auctorem fuisse putant.

Quam apte atque artificiose Demosthenes ab Aeschine adhibitas sententias non solum eluserit, sed etiam iis optime contra adversarium ipsum usus sit, ex oratione de falsa legatione colligi potest. Aeschines enim inopia testimoniorum, ut orator dicit, adductus ad Hesiodum confugit atque eius verbis (E. κ. η. 761 sq.). Timarchi crimen demonstrare conatus est:

φῆμη δ' οὐ τις πάμπαν ἀπόλλοιται, ἦντινα λαοὶ πολλοὶ φημίωσι. θεός νό τις ἐστί καὶ αὐτή.

Qua sententia nunc ad Aeschinem relata orator demonstrat eodem modo veram esse famam de Aeschine a Philippo corrupto (§ 243). Eodem modo usus est sententia ex Euripidis Phoenice, quae sequitur (§ 245):

ὅστις δ' ὁμιλῶν ἤδεται κακοῖς ἀνὴρ, τοῦ πάποτ' ἠρώτησα γινώσκων, ὅτι τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἤδεται ξυῶν.

Deinde cum ipse allata Creontis e Sophoclis Antigena (vv. 175—195) oratione, in qua boni civis virtutes enumerantur, Aeschinis facta recensisset, nec quidquam invenisset, quod iis responderet, Aeschinem his verbis derisit (255): ἐνθάδε σεμνολογεῖ καὶ λογάρια δόσθηνα μελετήσας καὶ φωνασκήσας οὐκ οἶει δίκην δώσειν τηλικούτων καὶ τοσοούτων ἀδεικνύματων.

Reliquum est ab de forma sententiarum pauca dicamus. Proferantur autem plerumque per enuntiationem primariam tum simplicem, tum alia sententia adiuncta, ut ratione (II, 9—10; III, 32); eventa (I, 23). Interdum duae sententiae per μὲν at δὲ particulas opponuntur (II, 9; III, 18; XVIII, 192). Breviae sententiae saepe παραθετικῶς orationi inseruntur, ut XVIII, 306. Reperiuntur etiam sententiae, quae ab aliis pendeant, ut II, 8; per enuntiationem relativam expressae sunt sententiae IX, 38; XIX, 6; per genitivum absolutum V, 2; p. 966. Ex coniunctionibus, a quibus sententiae exordiantur, frequentissima est γάρ; tum ὡς (II, 12), οὖν (II, 28); alias δέ (III, 2, 32; IV, 5); καί

¹⁾ Poetarum locos rarissime ab oratoribus adhibitos esse docuit Spengel. Τεχνῶν συναγ. p. 20.

(I, 5); οὐ μὴν ἀλλά (XIV, 33). Ex modis fere semper indicativus reperitur, quo sententiam veram esse nec de ea dubitari posse significatur. Ex temporibus frequentissimum praesens est, quamquam etiam aoristus gnomicus qui vocatur haud raro adhibitus est, qui etsi rem semel factam esse significat, nihilominus tamen in sententiis universalibus locum habere potest, quoniam quod semel evenit, iterum fieri solet ¹⁾. Praeterea futurum quoque quibusdam locis reperies, ut II, 8; XIX, 239; XXII, 64; XXIII, 50; imperfecto orator usus est p. 1272, perfecto XVIII, 247. Ut in proverbiiis, ita in sententiis quoque copula omittitur, ut II, 20; III, 18; VI, 21, 25; XVIII, 159, 308. Si orator magna cum gravitate sententiam proferre vult, allocutione (ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι) utitur, ut XIX, 6; p. 1272.

Sententias in universum valere orator saepe variis verbis indicavit, ut πολλάκις III, 19; I, 23; XXIII, 124 πολλάκις συμβαίνει XIX, 6; ὡς τὰ πολλά VI, 34; εἶθε XXIII, 114; ὃ φέροι πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει XVIII, 9; οὕτως ἐχόντων τούτων τῇ φύσει XVIII, 315; ἀφ' οὗ γέγονασιν ἄνθρωποι XIX, 215; τίς οὐκ οἶδε τῶν πάντων XVIII, 315; ἵσμεν ἀπαντες τοῦτο XVI, 24; ἐκεῖνό γε εἶδόντι μὲν ἴσως ὁμοῦ δ' ἔρω XXII, 64; καὶ ἀπ' ἀνθρώπινου λογισμοῦ τοῦτο ἴδοι τις XIX, 300.

Oratores multis modis in sententiis generales specialia intulisse iam Dissenus ad XVIII, 159 adnotavit; nos exempla quaedam afferemus, ubi Demosthenes sententias ut suas opiniones proferens verbum sentiendi inseruit: οἶμαι I, 5; II, 14; III, 19, 32; ἡγοῦμαι III, 2; XVIII, 252; ὡς εἶοικε XVIII, 228; πολλάκις δοκέει I, 23; ὅρω V, 11.

¹⁾ Hanc aoristi gnomici explicationem recte se habere optime demonstratur eo, quod etiam in adiectivis a verbis derivatis quae in τος exeunt idem observatur; ita significat ὁρατός primum eum qui visus est, tum qui videri potest. Cf. Koch. gr. p. 232.

DE SIMILITUDINIBUS ATQUE IMAGINIBUS.

Παραβολῆς eam de qua nos agimus significationem iam apud Isocra-tem reperimus, qui Panath. § 226 Spartanorum et piratarum atque latronum concordia inter se comparata § 227 haec addit: εἰ δέ τισι δοκῶ τὴν παραβολὴν ἀπρεπῆ πεποιθῆσθαι. Anaximeni autem, quantum ex eius arte colligi potest, hoc nomen ignotum erat; qui inter sententiarum exempla duo postrema eius modi affert, quae nos sine ulla dubitatione similitudinibus adnumeremus (cf. Sp. I, p. 199); quas sententias ille γῶμας ἐκ παρομοιώσεως nominat, Demosthenes ipse orat. de cor. § 227 Aeschinis similitudinem allatam non παραβολὴν, sed παράδειγμα appellat.

Ut iam supra vidimus, est Aristoteli παράδειγμα exemplum, quod orator ex rerum gestarum copia depromit, παραβολή autem, quod ipse fingit et propter simile, quod in eo inest, ad id de quo agitur demonstrandum apponit. Ceterum praeter duo Socratica exempla, quae ad illustrandam παραβολῆς significationem allata sunt et praeceptum de fingenda similitudine tamquam in praetereundo datum (p. 98, 31 sqq.) ab Aristotele de hac re nihil amplius discimus.

Qui post Aristotelem rhetoricam docebant, multas definitiones protulerunt, discrimen autem inter exemplum et similitudinem ab Aristotele factum interdum non satis dilucide expresserunt, ut Cornificius (IV, 45, 59): Similitudo est oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile; et Cicero (de inven. I, 30, 49, cui παραβολή collatio dicitur): Collatio est oratio rem cum re ex similitudine conferens ²⁾.

²⁾ Idem statuendum est de plurimis posterioribus artium scriptoribus. Quorum definitiones qui accuratius cognoscere vult, inspiciat indices Walzianae vel Spengelianae rhetorum graecorum editionis s. v. παραβολῆς, vel Mönstii dissertationem, insertam indici scholarum gymnasii Waldenburgensis a. 1874, quae inscribitur «Veterum rhetorum de sententiarum figuris doctrina»; p. 11 sqq.

Unde παραβολῆς vocabulum derivatum sit, optime Eustathius ad Hom. II. β, 87 his verbis docet: λέγεται δὲ παραβολή, διότι τοῖς λεγομένοις παραβάλλει, τούτέστι συγκρίνει καὶ παρατίθει πρᾶγμα τι γνώριμον εἰωθὸς αἰετίνεσθαι. Apud latinos rhetores Quintiliano teste (V, 11, 1) similitudo eadem significatione adhibebatur, qua apud Graecos παραβολή, uno Cicerone excepto, apud quem similitudinis vim latius patere quam collationis intellegimus ex Top. c. 10, quod tamen non prohibebit, quominus utroque vocabulo promiscue utamur. Per comparisonis vocem latini homines παραβολήν fere nunquam reddiderunt, quamquam id fieri potuit; comparatio autem, quae a Graecis σύγκρισις appellabatur atque ad amplificandam orationem adhiberi solebat, a similitudine eo differt, quod per eam duae personae vel duo facta eiusdem generis inter se conferuntur, ut cognoscatur, quae similia et quae dissimilia in iis insint. Ita apud Demosthenem or. Aristocr. §§ 196 sqq. respublica maiorum et oratoris aetatis, vel de cor. §§ 256 sqq. Demosthenes cum Aeschine comparatur. In euangelio denique et apud recentiores παραβολή allegoriam significat.

Tota periodus, in qua similitudo reperitur, ex duobus constat: alterum enim comparandi causa aliunde asciscitur, alterum comparatur. Simile, quod in utraque re inest, recentiores tertium comparisonis nominare consueverunt; quod unum utrique commune est, cetera omnia disparia atque dissimilia. Quod iam Cornificius monuit (IV, 48, 61): non enim res tota totae rei necesse est similis sit, sed id ipsum, quod confertur, similitudinem habeat oportet. Eustathius quoque (l. l.) demonstrat Homerum adhibuisse similitudinem πρὸς ἓν καὶ μόνον, οὐ πρὸς ὅλον τὸ πρᾶγμα, οὐ γὰρ ἡ παραβολή ὅλη τῷ πρᾶγματι ὅλη προσαρμόζειν δύναται. Quo longius inter se distant quae dissimilia sunt, eo clarius atque evidentius simile apparet, quod rectissime Quintilianus observavit (VIII, 3, 74): nam quo quaeque longius petita est, hoc plus affert novitatis atque inexpectata magis est.

Similitudo igitur primum ad probandum assumitur. Praecepta, quae ad hunc usum referuntur, pauca tantum et maximam partem ex iis, quae de exemplis in universum artium scriptores dixerunt, elicienda sunt. Primum igitur in fingenda collatione requiritur, ut simile in utraque re videas. Cf. Aristot. Rhet. II, 20 (Sp. p. 98, 31 sq.): ποιήσασθαι γὰρ δεῖ (sc. fabulas Aesopicas) ὥσπερ καὶ παραβολάς, ἃν τις δύνηται τὸ ἕμοιον ὄραν, ὅπερ ῥᾶθόν ἐστιν ἐκ φιλοσοφίας. Tum debet iis qui audiunt tempore aut loco proxima ac nota, rei autem propria atque accommodata esse. Cf. Anaximenis verba (p. 221, 3 sq.): δεῖ δὲ τὰ παραδείγματα

οἰκεῖα τῷ πράγματι καὶ τὰ ἐγγύτατα τοῖς ἀκούουσι χρόνῳ ἢ τόπῳ, et Minuciani (Sp. I, p. 418): δεῖ δὲ τὰ παραδείγματα γνώριμα εἶναι τοῖς ἀκούουσι καὶ προσεχῆ τῷ πράγματι. Similitudines ductas ex mutis animalibus aut inanimis adhibere Quintilianus dissuadet, cum eas eludere facile sit (V, 13, 23). Exemplis autem utendum est, si argumenta non praesto sunt, tamquam probationibus, non deficientibus autem argumentis tamquam testimoniis, quod Aristoteles docet (p. 99, 5 sqq.): δεῖ δὲ χρῆσθαι τοῖς παραδείγμασι μὴ ἔχοντα μὲν ἐνθυμήματα, ὡς ἀποδείξεσιν· ἡ γὰρ πίστις διὰ τούτων· ἔχοντα δὲ ὡς μαρτυροῖς, ἐπιλόγῳ χρώμενον τοῖς ἐνθυμήμασιν. Quoniam similitudines in infirmioribus argumentis numerantur, non solae ad rem demonstrandam afferendae, sed aliis argumentis adiungendae sunt. Eiusmodi enim argumenta „si non possunt valere, quia magna sunt, valebunt quia multa sunt“, cf. Quintil. V, 12, 5.

Iam igitur his praemissis exempla ex Demosthenicis orationibus desumpta afferentes ostendemus, quomodo orator similitudinibus ad demonstrandum cum imprimis in confirmationibus, tum aliis quoque locis usus sit.

I, 11 Demosthenes explicat, deos quidem Atheniensibus pulcherimas rei gerendae occasiones dare, hos autem eas negligentes nullam gratiam diis referre, quod similitudine a re pecuniaria ducta confirmat. Comparat enim tempus rei gerendae in republica oblatum cum quaesita pecunia in vita privata. Qui parva tenet, fortunae gratiam habet; qui non, ingratus esse solet, ita etiam in republica: ἀλλ' οἶμαι παρόμοιον ἔστιν ὅπερ καὶ περὶ τῆς τῶν χρημάτων κτήσεως· ἂν μὲν γὰρ ὅσα ἂν τις λάβῃ καὶ σωσῃ, μεγάλην ἔχει τῇ τύχῃ τὴν χάριν, ἂν δ' ἀναλώσας λάβῃ, συνάλωσε καὶ τὸ μεμνησθαι τὴν χάριν. καὶ περὶ τῶν πραγμάτων οὕτως οἱ μὴ χρησάμενοι τοῖς καιροῖς ὀρθῶς, οὐδ' εἰ συνέβη τι παρὰ τῶν θεῶν χρηστὸν μνημονεύουσιν.—Eiusdem orationis §. 15 haec suis civibus praedicit: Si desides fueritis nec quominus Philippus urbes expugnet prohibueritis, per brevissimum quidem tempus in otio atque securi eritis, postea vero in summum periculum cum Philippo de Attica ipsa decertandi venietis. Quam sententiam demonstraturus hominis prodigi similitudine utitur, qui magnis usuris pecunia mutua accepta parvo quidem temporis spatio commodum sibi parat, postea vero totam rem familiarem amittit: δέδοικα, μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡσπερ οἱ δανειζόμενοι ῥαδίως ἐπὶ τοῖς μεγάλοις τόκοις μικρὸν εὐπορήσαντες χρόνον ὑστέρον καὶ τῶν ἀρχαίων ἀπέστῃσαν, οὕτω καὶ ἡμεῖς ἅμ' ἐπὶ πολλῷ φανῶμεν ἐρραθυμηκότες καὶ ἅπαντα πρὸς ἡδονὴν ζητοῦντες, πολλὰ καὶ χαλεπὰ ὧν οὐκ ἠβουλόμεθα

δωτερον εἰς ἀνάγκην ἔλθωμεν ποιεῖν καὶ κινδονεύσωμεν περὶ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ.

II, 10 orator haec gravissima verba pronuntiat: Non est potestas solida atque firma, nisi iustitia et veritate nitatur; quae illustri similitudine a fundamentis aedificiorum ducta confirmatur: ὡς περ γὰρ οἰκίας, οἶμαι, καὶ πλοίου· καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ, οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει.

Si quid calamitatis Philippo acciderit, inquit Demosthenes § 21 eiusdem orationis, mala in eius civitate, quae nunc rebus prospere gestis obumbrantur atque operta sunt, statim erumpent. Quod collatione a sano atque aegrotō corpore ducta confirmavit: ὡς περ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν, ἕως ἂν ἄρρωθὲν ἢ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται, ἐὰν δὲ ἄρρωσθημά τι συμβῆ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥήγματος κἂν στρέμμα· κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ἦ, οὕτω καὶ τῶν πόλεων καὶ τῶν τυράννων, ἕως μὲν ἂν ἔξω πολέμοσιν, ἀφανῆ τὰ κακά τοῖς πολλοῖς ἔσται, ἐπειδὴν δὲ ἄραρος ἢ πόλεμος συμπλακῆ, πάντα ἐποίησεν ἐκδηλα.

III, 17 Demosthenes Atheniensibus iterum praedicit, eos propter desidiam atque negligentiam calamitate afflictos in alios culpam esse collaturus, ad quod demonstrandum similitudinem e res militari petitam affert: nam ibi quodque elade accepta militum unusquisque culpam a se demovere atque in alium transferre solet. Verba rei us haec sunt: οὐ γὰρ αὐτοὶ γ' αἴτει φησόμεν εἶναι, σαφῶς οἶδα τοῦτ' ἐγὼ· οὐδὲ γὰρ ἐν τοῖς τοῦ πολέμου κινδύνοις τῶν φορόντων οὐδεὶς ἑαυτοῦ κατηγορεῖ, ἀλλὰ τοῦ στρατηγούσθαι τῶν κλησίων καὶ πάντων μᾶλλον, ἤσσηται δ' ὅμως διὰ πάντας τοὺς φορόντας δήπου· μένειν γὰρ ἐξὴν τῷ κατηγοροῦντι τῶν ἄλλων, εἰ δὲ τοῦτ' ἐποίησεν ἕκαστος, ἐνίκων ἂν.

Qui rempublicam suis consiliis moderantur, is ex Demosthenis sententia res dirigerē, non sequi debent, quod ille orat. Phil. I, § 39 his verbis confirmat: καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ὡς περ τῶν στρατευμάτων ἀξιωμασιέ τις ἂν τὸν στρατηγὸν ἡγεῖσθαι, οὕτω καὶ τῶν πραγμάτων τοὺς βουλευομένους, ἵν' ἂν ἐκείνοις δοκῆ, ταῦτα πράττηται καὶ μὴ τὰ συμβέβητα ἀνάγκᾳ ζῶνται διώκειν.

In prima parte orat. Phil. III orator Athenienses exhortatur, ut Philippum, qui iniurias Graecis iam intulerit, ulciscantur, inter alia quibus utitur argumenta similitudinem quoque adhibet dicens, inter Graecos et Philippum in totius Graeciae rebus administrandis idem discrimen intercedere atque inter filios legitimos et non legitimos vel servos in patrimonio administrando. Ut igitur si filius legitimus non

bene rem familiarem administret, hoc non tam aegre ferendum sit quam si eam non legitimus vel servus perdat: ita si Athenienses vel Lacedaemonii ceteris Graecis nocebant, hoc non tam aegre ferendum erat, quam si iis Philippus iniuriam facit. Ab hac sententia Demosthenes exorsus esse videtur. Ut vero capitalem hostem maiore ignominia afficeret, similitudinem ita conclusit, ut Philippum ne dignum quidem esse diceret, qui ad Graecos ita referretur ut filius non legitimus vel servus ad liberos legitimos. Quae Demosthenes §§ 30—31 hoc modo expressit: και μὴν κάκεινό γε ἴστε, ὅτι ὅσα μὲν ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἢ ὑφ' ὁμῶν ἐπασχον οἱ Ἕλληνες, ἀλλ' οὖν ὑπὸ γνησίων γε ὄντων τῆς Ἑλλάδος ἡδικοῦντο, και τὸν αὐτὸν τρόπον ἂν τις ὑπέλαβε τοῦτο, ὡσπερ ἂν εἰ υἱὸς ἐν οὐσίᾳ πολλῇ γεγωνῶς γνήσιος διψῆκει τι μὴ καλῶς μηδ' ὀρθῶς, κατ' αὐτὸ μὲν τοῦτο ἄξιον μέμψεως εἶναι και κατηγορίας, ὡς δ' οὐ προσήκων ἢ ὡς οὐ κληρονόμος τούτων ὦν ταῦτα ἐποίει, οὐκ ἐνεῖναι λέγειν. εἰ δέ γε δοῦλος ἢ ὑποβολιμαῖος τὰ μὴ προσήκοντα ἀπάλλοι και ἐλουμαίνοτο, ὅσα μᾶλλον δεινὸν και ὀργῆς ἄξιον πάντες ἔφησαν εἶναι. Quae in iis quae sequuntur ad Philippum referuntur.

Eiusdem orationis § 69 Demosthenes contendit, dum respublica integra sit et conservari possit, omnibus operam esse navandam. Hanc sententiam confirmat similitudine a navi in mari fluctuoso iactata desumpta: ἕως ἂν σώζηται τὸ σκάφος ἂν τε μεῖζον ἂν τε ἔλαττον ἦ, τότε χρῆ και ναύτην και κυβερνήτην και πάντ' ἄνδρα ἐξῆς προθύμους εἶναι και ὅπως μὴθ' ἐκὼν μὴτ' ἄκων μηδεὶς ἀποστρέψει, τοῦτο σκοπεῖσθαι· ἐπειδὴν δὲ ἡ θάλαττα ὑπέροχη, μάταιος ἡ σπουδὴ· και ἡμεῖς τοίνυν, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἕως ἐσμὲν σώοι, πόλιν μεγίστην ἔχοντες, ἀφορμὰς πλείστας, ἀξίωμα κάλλιστον—τί ποιῶμεν;

Cum Persarum rex magnam pecuniam ad bellum contra Graecos gerendum paratam haberet idque Atheniensibus metum iniceret, Demosthenes (XIV, 30) demonstrare conatur similitudine adhibita maximos quoque thesauros minui, si quis multum atque saepe ex iis depromat: και γὰρ τὰς κρήνας και τὰ φρέατ' ἐπυλείπειν πέφυκεν, εἴαν τις ἀπ' αὐτῶν ἀθρόα και πολλὰ λαμβάνῃ;

Iam sub finem orat. de Rhodiorum libertate (§§ 32 — 33) Demosthenes contra oratores, qui paucorum potestati favebant, tamquam excursionem faciens similitudinem e re militari ductam adhibuit, qua demonstrat illos oratores a republica administranda esse removendos. Nam ut in bello qui stationem deserit, propterea civitatem amittit, ita etiam qui a reipublicae administrandae ratione a maioribus accepta recedit, eadem poena afficiendus est: ἐχρῆν γάρ, ᾧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν

αὐτὴν ἔχειν διάνοιαν ὑμᾶς περὶ τῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ τάξεως, ἤνπερ περὶ τῆς ἐν ταῖς στρατείαις ἔχετε. τίς οὖν ἐστὶν αὕτη; ὑμεῖς τὸν λείποντα τὴν ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ τάξιν ταχθεῖσαν ἄτιμον οἴσθε προσήκειν εἶναι καὶ μηδενὸς τῶν κοινῶν μετέχειν. χρὴ τοίνυν καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λείποντας καὶ πολιτευομένους ὀλιγαρχικῶς ἀτίμους τοῦ συμβουλευεῖν ὑμῖν αὐτοῖς ποιῆσθαι.

XVIII, 194 *negat Demosthenes victoriae Philippi et Graecorum cladis culpam in se conferri posse, quod confirmat similitudine a domino navis petita: εἰ δ' ὁ συμβᾶς σκηπτὸς ἢ χειμῶν μὴ μόνον ἡμῶν ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἄλλων Ἑλλήνων μείζων γέγονε· τί χρὴ ποιεῖν; ὥσπερ ἂν εἴ τις ναύκληρον πάντ' ἐπὶ σωτηρίᾳ πράξαντα καὶ πᾶσι κατασκευάσαντα τὸ πλοῖον ἀφ' ὧν ὑπελάμβανε σωθῆσεσθαι εἶτα χειμῶνι χρησάμενον καὶ πονησάντων ἀπὸ τῶν σκευῶν ἢ καὶ συντριβέντων ὅλως τῆς ναυαγίας αἰτιῶτο. ἀλλ' οὔτε ἐκυβέρνων τὴν ναῦν, φήσαιεν ἂν, (ὥσπερ οὐδ' ἐστρατήγουν ἐγώ), οὔτε τῆς τύχης κύριος ἦν, ἀλλ' ἐκεῖνη τῶν πάντων. Dissensus ad hunc locum recte adnotavit: Observabis hanc comparationem nunc excusationis causa scite a Demosthene positam.*

Quam apte orator Aeschinis similitudinem in rem suam converterit, eiusdem orationis § 227 videmus. Aeschines enim (III, 59) iudices monuit, ut opinione de Demosthene, quam domo attulissent, deposita eam acciperent, quae ex ipsius oratione sequeretur, et ad confirmandam sententiam similitudinem adhibuit, quam Demosthenes hoc loco affert: ut enim iudices, si cui pecuniam superesse suspicati sint, reddita ratione opiniones suas mutant, ita nunc quoque oratione Aeschinis habita opinionem de Demosthene iis esse mutandam: ὥσπερ δ' ὅταν οἰόμενοι περιεῖναι χρήματά τῃ λονίζησθε, ἂν καθαιρῶσιν αἱ ψῆφοι καὶ μηδὲν περιῆ, συγχωρεῖτε, οὕτω καὶ νῦν τοῖς ἐκ τοῦ λόγου φαινομένοις προσδέσθαι (sc. προσήκει). Hoc igitur Aeschinis argumento efficitur ab adversario ipso concedi Demosthenem esse secundum opinionem omnium patriae amicam.

Orat. contra Timocratem § 213 contendit orator Timocratem poena afficiendum esse, quoniam legem ineptam tulerit. Ad quod demonstrandum sub finem totius orationis exemplo Solonis utitur, qui in simili causa collatione adhibita demonstravit, eum qui leges corrumpere magis puniendum esse quam qui pecuniam corrumpere. Similitudo autem, laxiore quodam vinculo coniuncta, haec est: εἰπεῖν (sc. Σόλων), ὅτι αὐτὸς ἡγεῖται ἀργύριον μὲν νόμισμ' εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἕνεκα τοῖς ἰδιώταις εὐρημένον, τοὺς δὲ νόμους ἡγεῖτο νόμισμα τῆς πόλεως εἶναι.

Hae similitudines fere sunt, quas Demosthenes ad probandas sen-

tentias attulerit ¹⁾. Quae quam propriae et ad confirmandum aptae et ex rebus iis qui audiunt proximis ductae sint, non opus est monere. Verum oratoris est non solum ea quae proposuerit demonstrare, sed etiam quae contra eum faciant, si non refutare, at certe extenuare, ridicula facere, acerbitate atque ironia perstringere. De quo usu cum infra latius dicturi simus, hoc loco eas tantum collationes, quae ad hunc usum pertinent, enumerabimus.

III, 33 comparat orator pecuniam theatralem, ut eius aestimationem extenuet atque comminuat, cum cibis, qui a medico aegrotis porriguntur, qui nec vires augent, nec mori nos sinunt: τοιοῦτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενούσι παρὰ τῶν ἰατρῶν αὐτοῖς διδομένοις ἔοικε. καὶ γὰρ οὐτ' ἰσχυρὸν ἐκεῖνα ἐντίθησιν οὐτ' ἀποθνήσκειν ἔα· καὶ ταῦτα, ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὕτε τοσαῦτά ἐστίν, ὥστε ἀφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὐτ' ἀπογνόντας ἄλλο τι πράττειν ἔα, ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἐκάστου ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα. Quam proprie Demosthenes hac similitudine usus esset, iam scholiasta ad hunc locum observavit, (qui ceteroquin hanc oratoris partem minus respiciebat, quamquam eius scholia fere in sola eharrratione oratoria versantur): οἰκείως τῇ παραβολῇ ἐχρήσατο, δεικνὸς ὅτι νοσοῦσιν ἄνοιαν.

Acerba similitudo orat. Phil. I, 40 reperitur, ubi Demosthenes Athenienses cum Philippo bellam gerentes cum barbarorum pugilibus comparat: ut enim hi in pugilatione icti solum vulnere manus admovent plagam contrectantes, neque impetum adversariorum cavere et propulsare conantur, ita etiam Athenienses tantum eo exercitum mittunt, ubi a Philippo iniuria iis facta est, neque undique eum prohibere student: οὐδενὸς δ' ἀπολείπεσθε ὥσπερ οἱ βάρβαροι ποικτεύουσιν οὕτω πολεμεῖν Φιλίππῳ. καὶ γὰρ ἐκεῖνων ὁ πληγῆς αἰεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, κἂν ἐτέρωσθε πατάτῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες· προβάλλεσθαι δ' ἢ βλέπειν ἐναντίον οὐτ' οἶδεν οὐτ' ἐθέλει, καὶ ὑμεῖς, ἂν ἐν Χερσονήσῳ πόθησθε Φιλίππον, ἐκεῖσε βοηθεῖν ψηφίζεσθε κτλ. Non inepte Reuterus ad hunc locum: Valde, inquit, hanc cum barbaris comparisonem Athenienses, qui omnem barbariem maxime despiciebant, pupugisse existimandum est.

Huc spectat etiam orat. de cor. § 243: Aeschines rebus iam infeliciter gestis et republica calamitate afflicta prodierat atque demonstrabat, quid antea faciendum fuisset. Quod ut ineptum et stultum Demosthe-

¹⁾ Pulchram Demosthenicam similitudinem Plutarchus servavit (Vit. Dem. c. 23) ὡς τοὺς ἐμπόρους ὁρῶμεν, ὅταν ἐν τρυβλίῳ δεῖγμα περιφέρωσι, δι' ὀλίγων πυρῶν τοὺς πολλοὺς πιπράσκοντες, οὕτως ἐν ἡμῖν λαμβάνετε πάντας αὐτοὺς συνεκδίδοντες.

nes similitudine acerba a medico petita perstringit: ὡς περ ἂν εἴ τις ἰατρός ἀσθενοῦσαι μὲν τοῖς κάμνουσιν εἰσιῶν μὴ λέγοι μηδὲ δεικνύοι δι' ὧν ἀποφρεύονται τὴν νόσον, ἐπειδὴ δὲ τελευτήσεται τις αὐτῶν καὶ τὰ νομιζόμενα αὐτῷ φέροτο ἀκολουθῶν ἐπὶ τὸ μνήμα διεξίοι „εἰ τὸ καὶ τὸ ἐποίησεν ἄνθρωπος οὕτως, οὐκ ἂν ἀπέθανεν“. ἐμβρόντητε, εἶτα νῦν λέγεις;—

Oratori videndum est non solum quae dicat, sed etiam quomodo dicat, cuius rei praecepta ab antiquis rhetoribus in eā artis oratoriae parte traduntur, in qua de elocutione agunt. Summa autem totius doctrinae est orationem ornatam esse debere: nam (ut cum Volkmanno loquar. l. 1. p. 348) non solum gravia, sed etiam splendida arma certantem decorant. Quod quid utilitatis afferat, optime docet Quintilianus (VIII, 3, 5): Qui libenter audiunt, et magis attendunt et facilius credunt; plerumque ipsa delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur.—Qui ornatus non debet esse nimis artificiosus atque infucatus, quoniam eiusmodi „cincinnati ac fucus“ celerrime eos qui audiunt fastidio implent. Rectissime igitur Tullius praecipit (de Orat. III, 26, 103): Ita sit nobis ornatus et suavis orator, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Qua arte Demosthenes in universum in elocutione versatus sit, iam Dionysius Halicarnassensis (de admir. vi dic. in Dem., c. 32) aptissima collatione adhibita monstrat: καὶ μοι δοκεῖ τις οὐκ ἂν ἀμαρτεῖν εἰκάσας τὴν Δημοσθένους διάλεκτον εὐκάρπῳ καὶ παμφόρῳ γῆ καὶ οὔτε τῶν ἀναγκαίων εἰς βίον, οὔτε τῶν περιττῶν εἰς τέρψιν ὑπανιζούσῃ.

Cornificius testatur (IV, 13) ornamenta orationis in verborum et sententiarum exornationes dividi: „verborum exornatio est, quae ipsius sermonis insignita continetur perpolitio; sententiarum exornatio est, quae non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem“. Quam divisionem Cornificius ut cetera artis rhetoricae praecepta a Graecis mutuatus est, qui σχήματα τῆς λέξεως καὶ τῆς διανοίας distinguebant. Inter sententiarum exornationes affert similitudinem (IV, 45, § 59). Cicero (de Orat. III, 53, 205) lumina sententiarum enumerans: Tum duo illa, inquit, quae maxime movent, similitudo et exemplum. Ceterum a Cicerone hac in re parum discimus, quoniam eo tempore, quo haec praecepta gravia esse putabat, tantum duo libri de inventione ei exciderunt (ut eius verbis utar de Orat. I, 2, 5), postea autem haec omnia tamquam puerilia, communia, trita respuebat. Plura apud Quintilianum reperimus, qui ipse saepissime similitudinibus usus copiosius eas tractavit. Eius verba sunt (VIII, 3, 72): Praeclare vero ad inferendam rebus lucem repertae sunt similitudines; quarum aliae sunt,

quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compositae.

Similitudines igitur, ut vidimus, ad exornandam orationem adhibendae sunt. Quid vero orator faciet, ne contra Demetrii praeceptum peccet, qui a similitudinibus exornandae orationis causa adhibendis dehortatur his verbis (Sp. III, p. 320): αἱ παραβολαὶ δὲ τῇ δεινότητι οὐκ ἐπιτήδεια διὰ τὸ μῆκος· οἷον τὸ „ὡςπερ δὲ κύων γενναῖος, ἄπειρος, ἀπρονοήτως ἐπὶ κάπρον φέρεται“ κάλλος γὰρ καὶ ἀκρίβειά τις ἐν τούτοις ἐμφαίνεται· ἡ δὲ δεινότης σφοδρὸν τι βούλεται καὶ σύντομον καὶ ἐγγύθεν πλήττουσιν ἔοικεν. Et iam antea (p. 283), ubi duabus Xenophonteis similitudinibus allatis haec addit: τὰς δὲ παραβολὰς οὔτε ῥαδίως ἐν τοῖς πεζοῖς λόγοις τιθέναι δεῖ, οὔτε ἄνευ πλείστης φουλακῆς. Quae controversia quomodo solvenda esset, divinus ille orator, cuius δεινότης non satis laudibus efferri potest, optime docuit. Nam in omnibus collationibus, quas modo ad ornandam orationem adhibuit, supervacaneis partibus ex similitudine remotis tantum eas retinuit, quae ad exprimendam comparandi causa allatam notionem necessaria esse viderentur. Hoc autem modo contracta atque coartata similitudinis forma, ut infra videbimus, rhetoribus εἰκὼν vel εἰκασία, imago dicitur. Iam igitur ad Demosthenicas imagines accedemus, si prius quae veteres de hac re dixerint attulerimus.

Quod ad imaginis definitiones attinet, ut supra in similitudine, ita hic quoque varias sententias reperimus. Aristoteli (p. 138, 25 sq., cf. p. 128, 30 sqq.) est ἡ εἰκὼν μεταφορὰ διαφέρουσα προθέσει (ut ὡςπερ vocis). Eadem sententia Demetrii est (p. 280, 29): εἰκασία δ' ἔστι μεταφορὰ πλεονάζουσα. Qui in fingenda imagine brevitati studendum nec quidquam praeter ὡςπερ addendum esse praecipit (p. 282, 31 sqq.): ἐπ' ἂν μέντοι εἰκασίαν ποιῶμεν τὴν μεταφοράν, στοχαστέον τοῦ συντόμου καὶ τοῦ μηδὲν πλέον τοῦ ὡςπερ προτιθέναι, ἐπεὶ τοὶ ἀντ' εἰκασίας παραβολὴ ἔσται ποιητικῆ. Sed haec est tantum brevissima imaginum forma et Aristoteles ipse exemplis quae attulit, imaginis vim latius patere monstrat. Ex Minuciani sententia (Sp. I, 419, 2 sqq.) imago idem est atque similitudo, quod tamen nimium est: ἡ δὲ εἰκὼν ἔστι μὲν ἡ αὐτὴ τῇ παραβολῇ, ἐναργέστερον δὲ ποιῶ τὸν λόγον, ὥστε μὴ μόνον ἀκούειν, ἀλλὰ καὶ ὄραν δοκεῖν. Hoc alterum Trypho quoque imaginis proprium esse dicit (Sp. III, p. 200, 6 sq.): εἰκὼν ἔστι λόγος ἐναργῶς ἐξομοιοῦν πείρωμενος διὰ τοῦ παραλαμβανομένου, πρὸς δὲ παραλαμβάνεται. Ex latinis rhetoribus est Cornificio (IV, 49, 62) imago formae cum forma cum quadam similitudine collatio; Ciceroni autem (I, 30, 49 de invent.) oratio demonstrans corporum aut naturarum similitudinem. Quintilianus denique (V, 11, 24):

εἰκόνα, inquit, Graeci vocant, quo exprimitur rerum aut personarum imago. Ceteris definitionibus minus aptis atque accuratis supersedebimus.

Posteriores quidam artium scriptores παραβολήν, παράδειγμα, εἰκόνα ὁμοιώσεως species esse dicebant, ut Polybius Sardinus (Sp. III, p. 106, 17) et Trypho (Sp. III, p. 200, 5); quam divisionem iam apud Ciceronem legimus de inv. I, 30. Cocondrius sex τῆς ὁμοιώσεως species enumerat (Sp. III, p. 239, 28 sq.): παραβολήν, εἰκόνα, εἰκονογραφίαν ¹⁾, χαρκτηρισμόν, εἰδωλοποιίαν, παράδειγμα. Herodiano denique (Sp. III, p. 104, 4 sq.) ὁμοίωσις idem esse videtur atque εἰκών, dicit enim: διαφέρει δὲ τῆς παραβολῆς, ὅτι διὰ συντόμων ὡς ἐπὶ πλεῖστον λέγεται καὶ χωρὶς ἀνταποδόσεως φράζεται.

Imago igitur primum ad exornandas atque illustrandas sententias adhibetur. Huc pertinent Demosthenicae imagines e natura ductae, quarum quattuor in orat. de cor. exstant: § 153 clades a Philippo Atheniensibus illata cum imbre comparatur: ὡς περ χειμάρρους ἂν ἅπαν τοῦτο τὸ πρᾶγμα εἰς τὴν πόλιν εἰσέπεσεν. § 188. praeteriens in republica periculum cum nimbo confertur: τὸ ψήφισμα τὸν κίνδονον παρελθεῖν ἐποίησεν ὡς περ νέφος, et § 214 illuvies, quae regionem operuit, cum tempore perfecto: ὡς περ ἂν εἰ κατακλυσμόν γεγενῆσθαι τῶν πραγμάτων ἡγρόμενοι, et denique § 308. Aeschines subito prodiens cum vento: ἐπὶ τῷ καιρῷ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὡς περ πνεῦμ' ἐφάνη. Duae imagines ad illustrandum adhibitae a pendendo sumptae sunt, quarum altera orat. de pace § 12 reperitur: ὅταν δ' ἐπὶ θάτερα ὡς περ εἰς τρυτάνην ἀργύριον προσενέγκης, οἴχεται φέρον καὶ καθείλκυε τὸν λογισμὸν ἐφ' αὐτό. Demosthenes igitur τὰ πράγματα et τὸ συμφέρον ἀπ' αὐτῶν perpendit, alii vero, qui corrupti sunt, in altera lance ad τὸ συμφέρον utilitatem, quam inde capiunt, id est pecuniam addunt, quo fit, ut lanx cum utilitate inclinetur et iudicium eorum perversum sit; Demostheni autem ab omni corruptione longissime remoto, τὸ συμφέρον φαίνεται ὀρθόν. Eadem imago de eadem re orat. de cor. § 298 legitur: οὐδ' ὄσα συμβεβούλευκα ὁμοίως ὑμῖν ὡς περ τρυτάνη ῥέπων ἐπὶ τὸ λῆμμα συμβεβούλευκα, ἀλλ' ἀπ' ὀρθῆς καὶ δικαίας καὶ ἀδιαφθόρου τῆς ψυχῆς.

¹⁾ R. Nicolai in libro qui inscribitur «Griechische Literaturgeschichte» iterum edito (T. I, P. 2, p. 423) inter auxilia quae ad Demosthenis dicendi facultatem cognoscendam adhiberi possint Papadopuli quoque commentationem affert, quae inscribitur Περὶ τοῦ Δημοσθένους καὶ τῆς εἰκονογραφίας αὐτοῦ. Ibi autem agitur non de iis quas nos tractamus imaginibus, sed de statua, quam Athenienses oratori publice posuerunt et ubi similes statuae reperiantur.

Aliud praeceptum, quod ad imaginum usum pertinet, affert Cornificius (IV, 49, 62): Sumitur aut laudis aut vituperationis causa, vituperationis, ut in odium aut in invidiam aut in contemptionem adducat.— Laudandi causa (ut de forti milite dici potest: pugnat ut leo), Demosthenes ne semel quidem imagine usus est, vituperandi autem saepius. Posteriorum rhetorum quidam hanc imaginum speciem εἰκασμὸν vel εἴκασμα appellaverunt, ut Trypho (p. 202, 2 sqq.): εἰκασμὸς ἐστὶν ὁμοιότης εἰδούς, περισπῶσα τὴν φαντασίαν πρὸς τὸ γελοιότερον, ὃ δὴ ὑπὸ τινων σκῶμμα καλεῖται. διαφέρει δὲ εἰκόνας, ὡς γένος εἰδούς: ἡ μὲν γὰρ εἰκὼν οὐκ εὐθέως εἰκασμὸς, ὃ δὲ εἰκασμὸς πάντως εἰκὼν. Herodianus quoque (Sp. III, p. 92, 7 sqq.) inter εἰρωνείας species εἰκασμὸν numerat et porro (27 sq.) ita definit: εἰκασμὸς δὲ ἐστὶν ὅταν μετὰ τοῦ παρατιθέναι τὸ ὅμοιον καθαιρῶμεν τοὺς πέλας. Apud Cocondrium denique haec descriptio exstat (Sp. III, p. 236, 15 sq.); τὸ δὲ εἴκασμά ἐστι σκῶμμα καθ' ὁμοιότητα. Iam igitur ad singula exempla enumeranda accedamus.

Orat. Phil. I, 26 Atheniensium duces per acerbissimam imaginem cum fictis imagunculis conferuntur, tamquam praeter spectacula in foro ad nullam rem graviolem utiles sint: ὡςπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους εἰς ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φολάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον.

In Phil. orat. III duas imagines usurpavit: Philippus enim § 29 cum febris vel alio morbo, quo ille quoque, qui longe abest atque in tuto sese versari putat, corripitur, apte comparatur: ὡςπερ περίοδος ἢ καταβολὴ πυρετοῦ ἢ ἄλλου τινὸς κακοῦ καὶ τῷ πάνυ κόρρω δοκοῦντι νῦν ἀφεστάναι προσέρχεται; § 33 orator Graecos propter desidiam vituperat, cum agricolis eos comparans, qui appropinquante procella tantum pro sese quisque optant, ne calamitate affligantur, prohibere vero eam nemo conatur: τὸν αὐτὸν τρόπον ὡςπερ τὴν χάλαζαν ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὴ καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι γενέσθαι, κωλύειν δ' οὐδεὶς ἐπιχειρῶν. Simili modo populo inconstantiam atque mobilitatem exprobrat XIX, 136, cum vento in mari eum conferens: ὡς ὁ μὲν δῆμὸς ἐστὶν ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν πάντων καὶ ἀσυνθετώτατον, ὡςπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον, ὡς ἂν τύχη, κινούμενον ¹⁾.

¹⁾ Aristotele teste (Sp. I, 129, 22) Demosthenes populum etiam cum iis comparavit, qui in navibus nauseant. Ceterum Aristoteles praeter hunc locum bis Demosthenis mentionem fecit (p. 106, 28, p. 117, 6 sq.) et p. 102, 16 sententiam de malo vicino afferens initium orationis contra Calliclem respicere videtur. Itaque minime probari potest sententia, quam R. Nicolai (l. l. p. 398) his verbis expressit: Bald war die Redekunst unter vorzugsweiser Berufung auf Demosthenes durch Aristoteles

Alia et ea quidem acerbissima imago XVIII, 198 reperitur, ubi Aeschines, qui temporibus quietis, cum de salute reipublicae ageretur, tacebat, si vero patria calamitate afflicta erat, statim prodibat et loquebatur, cum inveteratis morbis comparatus est: πρᾶττεταί τι τῶν ὑμῖν δοκούντων συμφέρειν ἄφρονος Αἰσχίνης· ἀντέκρουσέ τι πάρεστιν Αἰσχίνης· ὡς περ τὰ ρήγματα καὶ τὰ σπᾶσματα, ὅταν τι κακὸν τὸ σῶμα λάβῃ, τότε κινεῖται. Eiusdem orationis § 122 conferuntur ea, quae quispiam in pacata statua requirit, cum iis quae a reipublicae gubernatore exiguntur: τοιαῦτα λέγεις, ὡς περ ἀνδριάντα ἐκδεδωκῶς κατὰ συγγραφὴν, εἴτ' οὐκ ἔχοντα ἂ προσῆκεν ἐκ τῆς συγγραφῆς κομιζόμενος. Recte addidit scholiasta ad h. l. inter alia haec: διασύρει οὖν τῇ παραθέσει τὸν λογισμόν. Aliam imaginem orat. contra Aristocrat. 201 legimus, ubi ii, qui merces minimo pretio vendunt, cum Atheniensium oratoribus comparantur, qui minimo lucro adducti in contionibus proponunt, ut homines indigni honoribus afficiantur: τὰς τιμὰς καὶ τὰς παρ' ὑμῶν δωρεὰς ὡς περ οἱ τὰ μικρὰ καὶ κομιδῇ φαῦλα ἀποκηρύττοντες οὕτω πωλοῦσιν ἐπειωνίζοντες. Huc quoque referri potest XIX, 96, ubi pax Philocratea cum pecunia grandi fenore accepta comparatur: ἦν (sc. εἰρήνην) δέδοικα μὴ λελήθαμεν, ὡς περ οἱ δανειζόμενοι ἐπὶ πολλῶ ἄγοντες.

Iam sub finem huius partis ceteras quae nobis praesto sunt brevissimas imagines apponimus, quarum complures in proverbiorum consuetudinem venerunt. Ita II, 30 ὡς περ ἐκ τυραννίδος de iufinita potestate, quae parti cuidam conceditur; III, 7 ὡς περ ἐμπόδιμά τι de impedimento; IX, 39 ὡς περ ἐξ ἀγορᾶς de venditis ab oratoribus rerum gestarum occasioneibus; XIX, 328 ὡς περ αἰνιγμά τι de re incerta; XVIII, 50 ὡς περ ἐωλοχρασίαν de rebus inveteratis, (quod vocabulum proprie faecem significat); ibid. 122 ὡς περ ἐξ ἀμάτης de usu impudentium verborum; ibid. 263 λαγῶ βίον ἔζης de Aeschinis metu; ibid. 269 ὡς περ ἐν τραγωδίᾳ βοῶντα, et de falsa leg. 120 ἀγῶνας καινοῦς ὡς περ δράματα αἰρεῖς διώκων, quibus Demosthenes Aeschinis partium tertiarum munus, quo ille antequam orator factus est, fungebatur, facete denotat ut iam scholiasta vidit, qui ad priorem locum: καὶ ἅμα, inquit, εἰς τὴν τέχνην ἀποσχώπτε; et ad posteriorem: τὸ δὲ ὡς περ δράματα διὰ τὸ εἶναι ὑποκριτὴν εἶπεν; orat. Leptin. § 152 ὡς περ ἐργασία de aliena sententia saepe defendenda; orat. Midianae § 149 ὡς περ ἐν τραγωδίᾳ de incerta origine,

und Theophrast mit philosophischem Geist erörtert. Cf. Fr. Blassii librum qui inscribitur Die attische Beredsamkeit P. II, p. 112 sq. Aristoteles praecipiebat, quae optima essent, Demosthenes dicebat: igitur non mirum est, si usus oratoris et praecepta philosophi inter se minime contraria sunt.

orat. contra Boeotum p. 1026 ὡςπερ ἀπὸ μηχανῆς de teste, qui subito atque contra omnium expectationem prodiit.

Quam aptae Demosthenis similitudines atque imagines fuerint, veteres rhetores praecipue eo testantur, quod iis tamquam exemplis ad praecepta sua confirmanda utuntur. Ita, ut exempla quaedam afferam, illam praeclaram II, 10 similitudinem a firmis aedificiorum fundamentis ductam complures laudant, ut Apsines (Sp. I, p. 373, 2 sq.), Minucianus (Sp. I, p. 418, 32 sqq.), Rufus (Sp. I, p. 468, 24 sqq.), Gregorius Corinthius (Walz. VII, p. 1150). Item Aristides (Sp. II, p. 466, 11 sqq.) praecepto de imaginum usu allato (τὸ εἰκόσι χρῆσθαι σεμνότητι καὶ ἀξίωμα ἔχοντα τὸν λόγον ἐξεργάζεται) tria exempla ex Demosthenis orationibus petita (orat. de falsa leg. § 136, de cor. § 153, Phil. III, § 29) ad id quod dixit demonstrandum affert. Minucianus quoque (l. l.) ex oratione contra Aristogitonem (p. 786) haud ineptum exemplum adhibuit: πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς Ἀριστογαίτων ὡςπερ ὄφεις ἢ σκορπίος ἤρως τὸ κέντρον, ἄττων τῆδε κάκεισε. Quod exemplum equidem in enumerandis imaginibus omisi, quoniam non satis certum est, utrum haec oratio Demosthenica sit, necne.

Unus tantum ex tota antiquitate fuit, qui in hac quoque re Demosthenem calumniaretur, eius aequalis atque inimicissimus Aeschines orator, qui orat. Ctesiph. § 166 inter alia intolerabilia et fastidiosa Demosthenis verba haec quoque affert: ἐπὶ τὰ στενά τινες ὡςπερ τὰς βελόνας διείρουσιν. Sed iam antiquis temporibus Demosthenes defensorem nactus est Dionysium Halicarnassensem, qui l. de admir. vi dic. in Dem. c. 57: οὐδὲν, inquit, εὐρίσκω τούτων παρὰ Δημοσθένει κείμενον. Quid igitur haec Aeschinis verba sibi volunt? Aut eum mendacii argues, aut, quod mihi verisimilius esse videtur, cum Spengelio (ad Aristot. rhet. III, 4) censendum erit Demosthenem audaciora verba in scriptis vitantem in contione non fugisse ¹⁾.

Cicerone (de Orat. II, 66, 265 sq.) et Quintiliano (VI, 3, 57, sqq.) testibus similitudines et imagines etiam idcirco ab oratoribus adhibentur, ut iudices vel coronam ad risum commoveant. Quod quid utilitatis afferat, recte Tullius docet (de Orat. II, 58, 236): est oratoris movere

¹⁾ Inter orationem habitam et scriptam quod ad dicendi genus attinet multum interesse multaque in illa concedi, quae in scripta tolerari non possint, monet Aristoteles (p. 145, 18 sqq): δεῖ δὲ μὴ λεληθέναι ὅτι ἄλλη ἐκάστῳ γένοι ἀρμόττει λέξις· οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ γραφικὴ καὶ ἀγωνιστικὴ. Et porro: ἔστι δὲ λέξις γραφικὴ ἢ μὲν ἢ ἀκριβέστατη, ἀγωνιστικὴ δὲ ὑποκριτικωτάτη. Cf. Blass. l. l. p. 115.

risum, maxime quod odiosas res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit. A Demosthene hic usus est alienus, exceptis paucissimis exemplis (ut illa similitudine de stulto medico et imaginibus, ὡσπερ ἔωλοκρασίαν, λαγὼ βίον ἔζης), quod iam Quintilianus scite observavit atque oratorem cum Cicerone componens his verbis expressit (VI, 3, 2): Plerique Demostheni facultatem defuisse huius rei credunt, Ciceroni modum. Nēc videri potest noluisse Demosthenes, cuius pauca admodum dicta nec sane ceteris eius virtutibus respondentia palam ostendunt, non displicuisse illi iocos, sed non contigisse ¹⁾. Et § 21. ita pergit: Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Significat vero, ut ipse dicit, dicacitas proprie sermonem cum risu aliquos incessentem; urbanitas autem (quod § 17 docet), est sermo praeferens in verbis et sono et usu proprium quendam gustum urbis, et iam Aristotele monente (p. 138, 23) ut aliis rebus ita imaginibus quoque efficitur: ποιῶσι μὲν οὖν καὶ αἱ τῶν ποιητῶν εἰκόνες τὸ αὐτὸ (sc. τὸ ἀστεῖον, τὴν ἀστειότητα). Demosthenem revera severi ingenii fuisse praeter Quintilianii testimonium hoc quoque demonstrat, quod et adversarii eum aquae potorem appellantes ut hominem difficilem et morosum deridebant ²⁾, et in statuis, quae in museis nostris asservantur, faciem oratoris minime affabilem hilaremque fuisse videri potest ³⁾. Quae severitas mea quidem sententia Demostheni potius decori atque ornamento esse debet, quam ut ob eam causam de eius gloria aliquid detrahas: nam idcirco iocosas imagines afferre, ut iudicem facetiis a vero abductum corrumpat, oratorem a religione officii non declinantem minime decet, neque illo serio tempore, quo ultimum certamen de libertate atque summa salute Graecis instabat, patriae amantissimus quisque iocari potuit. Ceterum Demosthenes non solum; non adhibuit iocos, sed etiam suos cives, qui facetis verbis delectati plerumque reos dimitterent, acerbè increpuit or. in Aristocr. p. 689: ὑμεῖς δ' ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοὺς τὰ μέγιστα ἀδικούντας καὶ φανερώς ἐξελεγχομένους, ἂν ἔν ἡ δύο ἀστεία εἴπωσιν... ἀφίετε.

¹⁾ Cf. etiam Dionys. Hal. l. l. c. 54: πάσας ἔχουσα τὴν ἀρετὰς ἡ Δημοσθένους λέξις λείπεται εὐτραπέλειας, ἣν οἱ πολλοὶ καλοῦσι χάριν.

²⁾ Cf. VI, 30 ἔγωγε βδωρ πίνων εἰκότως δύστροπος καὶ δύσκολός εἰμι τις ἄνθρωπος, et XIX, 44.

³⁾ Vide E. Q. Visconti, Iconographie grecque, T. I, p. 256, qui pulcherrimam Demosthenis ex «villa Albani» statuam describens haec dicit: Les traits de cette figure et le front carré annoncent la force du génie; mais il faut convenir, que la physionomie n'est pas prévenante, et ne promet pas un caractère aimable.

Si quis omnes quas enumeravimus Demosthenis similitudines atque imagines perlustraverit, facere non poterit, quin primum miretur, cur in tot orationibus tam paucae reperiantur, cum Homerus in sola Iliade (ut Velsenus de comparationibus Homericis p. 5 docet), centum septuaginta octo similitudinibus usus sit? In qua re optime versatum esse oratorem intellegemus, si consideraverimus et similitudines, quae confirmandi causa adhibeantur, inter artificialia argumenta numerari atque arte refutari posse, et imagines potius poetam quam oratorem decere ideoque modice tantum adhibendas esse, ut Aristoteles docuit (p. 129, 3 sqq.): χρήσιμον δὲ ἢ εἰκῶν ἐν λόγῳ, ὀλιγάκις δὲ ποιητικὸν γάρ. Omnem vero artem quam sollertissime oratori occultandam esse imprimis latini rhetores praecepiunt, ut Cornificius (I, 10; II, 30; IV, 7), Cicero (de Orat. II, 41, 177), praecipue autem Quintilianus, qui I, 11, 3: nam si qua, inquit, in his ars est dicentium, ea prima est, ne ars esse videatur. Et porro (IV, 1, 9) causam adfert: iudex religiosus libentissime patronum audit, quem iustitiae suae minime timet. Inde illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio. Cum quibus conferas IV, 2, 127; VI, 3, 33; VIII, prooem., 18; 3, 2.

Alterum, quod mirabile esse videtur, hoc est, quod omnes similitudines ex deliberationibus tantum atque causis publicis desumptae sint neque ullae (paucissimis ut ita dicam vestigiis exceptis) reperiantur in causis privatis. Hoc quoque a Demosthene optime factum est, imprimis si elocutionem respicis. Nam inter singula orationis genera in eloquendo multum interest, ita ut genus demonstrativum a deliberativo atque iudiciali, in hoc autem iterum causae publicae a privatis in exornandis verbis valde differant. Splendidissimum ornatum genus demonstrativum desiderat, tenui atque cotidiano dicendi genere in iudicio in causis privatis utendum est, ut recte Quintilianus monet (VIII, 3, 14): An non pudeat certam creditam periodis postulare? aut circa stillicidia affici? aut in mancipii redhibitione sudare?—In deliberationibus autem et causis publicis sublimius atque ornatius dicendi genus adhibendum. (Cf. Quintil. VIII, 3, 11 sqq.; IV, 2, 61; 117; Cic. de Orat. II, 24, 100; 82, 337 sq.; III, 55, 210; Anonym. Sp. I, 323, 19 sqq). Quod discrimen a Demosthene rite observatum esse iam Dionysius Halicarnassensis l. l. c. 10 monet, ubi oratorem τὴν ἐξηλλαγμένην καὶ περιεργὸν διάλεκτον praecipue in Philippicis adhibuisse dicens haec addit: πολλὰ δὲ καὶ ἐν τοῖς δικανικοῖς ἀγῶσι, τοῖς γ'οὔν δημοσίοις· καὶ σχεδὸν ἐν τε τούτοις καὶ ταῖς δημηγορίαις. Plinius de hac re disputat c. 45: οὐδὲ τοὺς αὐτοὺς ψετο δεῖν πᾶσι προσήκειν κόσμους· ἀλλὰ τοῖς μὲν δημηγορικοῖς

τὸ ἀξίωμα καὶ τὴν μεγαληγορίαν μᾶλλον ἀρμόττειν, αὐτῶν δὲ τῶν δικανικῶ πάλιν ἐν μὲν τοῖς δημοσίοις, ἔνθα τὸ ἀξίωμα ἔδει τῆς πόλεως φυλάξαι, ταῖς μεγαλοπρεπεστέραις (sc. ἀρμονίαις κέχρηται) πλείοσιν· ἐν δὲ τοῖς ἰδιωτικοῖς ἐλάττωσιν. De causis privatis agit idem c. 56: ἐν δὲ τοῖς ἰδιωτικοῖς λόγους, οὓς περὶ μικρῶν συμβολαίων ἰδιώταις ἀνθρώποις ἔγραψε, τὴν κοινήν καὶ συνήθη λέξιν ἐπιτηδεύει, σπανίως δὲ ποτε τὴν περιττὴν καὶ οὐδὲ ταύτην ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἀλλ' ὥστε λαθεῖν.

Non erit inutile neque a re alienum tamquam in praetereundo videre, quae ratio inter Demosthenicas imagines et similitudines Homericas indercedat. Id eo magis licet quod veteres Homerum ut omnis poseos atque omnium artium, ita dicendi quoque parentem et primum magistrum esse persuasum habebant, ut Quintilianus (X, 1, 46) docet: Hic enim omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit.—Inter alia quae huc pertinent, § 49 similitudines quoque affert. Recte autem iis quae antecedunt (§ 28) monet, non esse in omnibus poetas oratori sequendos, cum id genus ostentationi comparatum solam voluptatem petat. In hoc quoque Demosthenes posterioribus viam monstravit. Loci enim, unde similitudines ducuntur, tres sunt: natura, vita humana, animus. Quod ad primum attinet, Homerus plurimas collationes huc spectantes imprimis ad pugnas describendas adhibuit et singulas earum partes suo more dilatavit: Demosthenica vero quinque vel sex eiusmodi exempla reperimus et ea quidem fere semper in artissimam imaginum formam contracta. Vita humana utrique materiem suppeditabat, Demosthenes autem vitam urbanam magis respiciebat, ita ut apud eum complures similitudines a vendendo, numerando, pendendo, re pecuniaria ductae inveniantur. Quod optime ab oratore institutum esse nemo non videt, cum haec omnia iis qui audiebant, proxima atque notissima essent ideoque ad sententias demonstrandas apte quadrarent. Ex eo quem tertium nominavi loco Homerus duas imagines hausit (Il. XV, 80; Od. VII, 36), Demosthenes nullam, et summo iure: nam iis tantum quae sensibus subiecta sunt usus, artificii suspicionem prorsus evitavit.

His igitur absolutis, ut supra in sententiis, ita hic quoque quaedam de ordine et forma, de coniunctionum, temporum, modorum usu imprimis ad similitudines pertinentia afferemus. De ordine iam Quintilianus (VIII, 3, 77 sqq.) haec monuit: In omni autem parabole aut praecedat similitudo, res sequitur aut praecedat res et similitudo sequitur. Sed interim libera et separata est: interim, quod longe optimum est, cum re, cuius est imago, connectitur, collatione

invicem respondente, quod facit redditiō contraria, quae ἀνταπόδοσις dicitur... Redditiō autem illam rem utramque velut subicit oculis et pariter ostendit. Cum quo conferas Polybii Sardiani (Sp. III, p. 107, 1 sq.) haec verba: εἰσὶ δὲ τῶν παραβαλῶν αἱ μὲν ἀνταποδοτικαί, αἱ δὲ ἀπόλυτοι, vel δέχα ἀνταποδόσεως, ut infra dicit. Herodianus (Sp. III, p. 104, 8 sq.) eam redditiōnem contrariam ita definit: ἀνταπόδοσις δὲ φράσις ἀνταποδιδομένη τῇ παραβολῇ καὶ συναπλοῦσα τοῖς πραττομένοις αὐτήν.

Quod igitur ad ordinem similitudinis et rei comparatae attinet, apud Demosthenem similitudo plerumque praecedat, res sequitur; ordo contrarius in imaginibus tantum reperitur. XVIII, 243 affertur antea res comparata, tum similitudo sequitur et res comparata sub finem repetitur.

Utriusque rei separatae et libere positae, quae similitudinis forma simplicissima est, duo vel tria exempla reperiuntur, ut XXIV, 213 in Solonis verbis, ubi modo per ἀντίθεσιν μὲν et δὲ vocabulorum hae duae partes sibi respondent. Huc pertinet IX, 69, ubi similitudini antecedenti res καὶ ἡμεῖς τοῖνον verbis adiungitur; cf. etiam III, 17, ubi similitudo οὐδὲ vocabulo adnexa est.

Quod e Quintiliani sententia longe optimum est, huius plurima exempla apud Demosthenem inveniuntur. Similitudo enim ὡςπερ adverbio inducitur (ὡς simplex nunquam in similitudinibus apud Demosthenem reperitur), res autem comparata ab οὕτω(ς) incipit. Ad augendam comparandi significationem varia vocabula adduntur, ita I, 15 τὸν αὐτὸν τρόπον, idem IX, 31 (ubi οὕτως deest); καὶ additum legitur II, 10; ὡςπερ—οὕτω καί; ibid. 21 et XVIII, 227 ὡςπερ—οὕτω καὶ γὰρ. Interdum tota sententia ei rei inservit, ut I, 11: παρόμοιόν ἐστιν, ὅπερ καί. Sed in eiusmodi locis liberius tota similitudo instituta est, ita ut potius ad eas similitudines, de quibus supra diximus, numerari possit. Ita I, 11 similitudo per sententiam primariam sine comparativa coniunctione expressa est, res autem καὶ οὕτως verbis adnexa. Ita etiam IV, 10 similitudo primum in universum designatur verbis: οὐδενὸς ἀπολείπεσθε ὡςπερ—οὕτω, incipit autem a καὶ coniunctione, itemque res comparata. Similiter inducitur parabole III, 33 primum in universum verbis τοιοῦτων—ἀ ἔοικεν. Utraque pars a καὶ coniunctione incipiens per sententiam primariam exprimitur. Cf. etiam XV, 32—33. Ibi quoque similitudo primum in universum vocabulis τὴν αὐτήν—ἤνπερ designatur. Similitudo ipsa est sententia primaria sine coniunctione, res comparata per τὸν particulam adiungitur. In re comparata οὕτως adverbium inter-

dum omittitur, imprimis ubi similitudo disiuncta rem subsequitur, ut XVIII, 198, 194 et 203.

Coniunctio, qua Demosthenes ad adnectendas imagines utitur, est, ut supra, hic quoque ὡσπερ, cf. IV, 26; XIX, 96 et saepius aliis locis; orat. Phil. III, 33 praeter ὡσπερ addita sunt vocabula τὸν αὐτὸν τρόπον; interdum cum ὡσπερ particula ἄν coniungitur, ut XVIII, 153, 298; porro ὡσπερ ἄν εἰ ibid. 214. ἄν et ἄν εἰ particulae e similitudinibus non contractis ductae sunt, ubi in protasi conditionali ab εἰ coniunctione incipiente adhibitae erant¹⁾. Non praetermittenda est singularis imaginis forma XVIII, 263: λαγῶ βίον ἔζης, quod significat idem atque ὡσπερ λαγῶς ἔζης.

Quod ad tempora attinet, frequentissimum praesens est, quo similitudinem saepius inveniri significatur. At interdum aoristum quoque invenies, ut I, 15 ὡσπερ—ἀπέστησαν; ibid. 11, ubi orator utrumque adhibuit: ἔχει et συνανάλωσεν. Qui aoristus eandem significationem habet atque in sententiis (γνώμαις), cf. supra p. 19.

Ex modis indicativo nullus est frequentior. Optativum legimus, XVIII, 194 ὡσπερ ἄν εἴ τις—αἰτιῶτο, ibid. 243 ὡσπερ ἄν εἰ ἰατρός—μὴ λέγοι μηδὲ δεικνύοι—διεξίοι. Etiam in re comparata plerumque indicativum praesentis reperimus, interdum etiam indicativum aoristi gnomici, ut II, 21, ubi cum praesenti coniunctus est: ἀφανῆ ἐστί—ἐποίησαν. IX, 69 Demosthenes interrogatione rhetorica usus est, quo rem comparatam gravius exprimeret: τί ποιῶμεν; Tota denique similitudo ab alio verbo pendet, ut I, 15 a verbo δέδοικα et in Solonis antithesi XXIV, 213 ut accusativus cum infinitivo a verbo ἡγεῖται.

¹⁾ Simili modo apud Homerum ὡς ὅτε et ὡς ὅτ' ἄν reperitur, de quo usu cf. Holzmani diss. phil. «De comparationis quae dicuntur in graeca et latina lingua particulis», Halis, a. 1866, p. 18 sq.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p.	3 ¹⁾	v.	3	pro	λόκοις	lege	λόκοις.
»	4	»	21	«	Λιχομνείων	»	Λιχομνείων.
»	5	»	4	«	17 s. 22	»	17 sqq.
»	6	»	22	«	τῷ	«	τῷ.
»	11	»	2	«	γνώμην	»	γνώμην.
»	12	»	18	«	it ista	«	ut ita.
»	13	»	17	«	αὐτοῖς	«	αὐτοῖς.
»	15	»	15	«	ῥάδιον	«	ῥάδιον.
»	»	»	»	«	δεῖ	«	δεΐ.
»	»	»	16	«	δε	«	δεῖ.
»	»	»	37	«	βιάζεται	«	βιάζεται.
»	»	»	39	«	φυλάξα	«	φυλάξει.
»	17	»	20	«	γνωρίμων	«	γνωρίμων.
»	19	»	5	«	santentiis	«	sententiis.
»	»	«	9	«	proverdiis	«	proverbiis.
»	«	«	21	»	adnolavit	«	adnotavit.
»	«	«	22	»	udi	«	ubi.
»	21	«	30	«	accomo-	«	accommo-
»	25	«	26	«	λονιζήσθε	«	λογιζήσθε.
»	30	«	1	«	Cornfiu	«	Cornifi-
»	»	«	2	«	vit-i	«	vitu-
»	»	«	28	«	δοκοῦσαι	«	δοκοῦσαι.
»	32 ¹⁾	«	4	«	γραφική ἡμὲν	«	γραφική μὲν.
»	21	»	31	ante	δεῖ	adde	λαμβάνειν.
»	32 ¹⁾	«	5	post	δε	«	ἤ.

(Leviore quidam typographi errores, qui ad interpunctionem, aspirationem, accentum referuntur, omissi sunt).
